

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## **Symbolarvm Libri XVII. Qvibvs P. Virgilii Maronis Bvcolica, Georgica, Aeneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur**

**Vergilius Maro, Publius  
Augustae Vindelicorum, MDIC**

Liber IIII. Ad tertium Georgicorum

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-322)



SYMBOLARVM  
IN P. VIRGILIVM MA-  
RONEM LIBER IIII.

Ad tertium Georgicorum.

SYNOPSIS.



*Vm Maroni sint rusticationis partes quatuor, earumq; prima in agrorum cultione constituta: altera in cura hortēsi, siue arborum, ac præcipuè vitium: tertia in tractando pecore: postrema in procurandis apibus, hoc tertio libro agit de animantibus: verum ita, vt villaticam pastionem o-mittat: pecuariam, seu pastoritiam agrestem duntaxat persequatur: & quod attinet ad armentum, in equis, & bobus tantum: quod ad gregem seu minores pecudes, in ouibus solum, & capris: pauca etiam de canibus adiungit, qui ad custodiam pecoris adhibentur. Postquam igitur argumentum libri breuiter concinneque proposuit, illicò res quasdam certas, easque iam tritas, neminique amplius ignotas recenset, in quibus poetæ plerunque in anem lecto- rum delectationem aucupantes, nulla cum eorum utilitate versari consueuerint: se relictis huius- modi figmentis, vera, fructiferaq; pertractaturum pollicetur, vt hac ratione famam sibi, celebri- tatemque nominis æternam acquirat. Ac de re quidem rustica se primùm scripturum carminibus, deque poetis Grecis, qui in eo genere elaborarunt, triumphum relaturum, & huius victoriæ suæ monumenta, etiam in prædio suo, quod in agro Mantuano habet, magnifica, & illustria excitatu- rum, quæ omnia qualia, & quàm eximia cogitarit, commemorat. Postea ubi Mæcenatem sibi be- neuolum fecit, absolutaque scriptione georgica ad Augusti bella, maiorumque eiusdem decora ca- nenda venturum recepit, ad institutum ag greditur. Sic autem de equis, ac bobus disserit, vt ante omnia doceat, diligenter hic matrum, ibi admissariorum corpora intuenta. Optimus deinde vaccæ habitus, formaq; proponitur: quando ineunda, & quousq; duret eius fætura, ostenditur. Sequitur locus insignis de incommodis, & miseris, quibus sibi semper succedentibus, & homines, & anima- lia cumulantur: donec tandem malorum omnium extremum mors eos è medio tollat. Non deerunt vnquam vaccæ effætæ, & ob senectutem minus valide, in quarum locum integriores, vegetioresq; sufficiendæ: vt, quod armento decedit, isto modo per sobolis nouæ procreationem, quasi sortitione restituatur. Qua cura mater in bubulo, eadem in equino pecore deligenda est, & pullis equinis im- pendenda sollicitudo educationis à principio non indiligens. Signa complura afferuntur, quibus ge- nero sum pullum cognoscere possimus. Porro etiam talis vel morbo affectus, vel senio fessus, domi re- tinendus: & cum ab omni opere, tum præsertim ab admissura prohibendus est. Quis enim dubitet, equum vetulum, & in Venerem fore frigidum, & ad laborem militiamque inutilem? Animaduer-*

Ff

tenda

tenda igitur etas cuiusque, ut, qui equus feminis implendis accommodatus sit, nosse queas. Animaduertendus item animus, ac virtus, propter Circenses ludos, & equeſtria certamina: nam & in his bestiis aequè ut in homine, quendam gloriæ appetitum obſeruare licet: quod poeta compluſculis carminibus ante oculos ponit. Inuentorem principem ludorum iſtorum facit Erichthonium: equitationis Theſſalos. Parui autem refert, qua regione, in Epirone, an in Peloponneſo, aut alibi natus ſit equus: & utrum ab ipſius Neptuni equis originem ducat. Si enim generoſam indolem, & ſpiritus altos præ ſe non tulerit, nec in curſu acer fuerit, ſi atate & robore haud integer, incuſſum vel veterius fiet, velequitationi ſeruiet. Quos ad admiſſuram deligunt, ijs paſcendis ſingularem tenent morem: atq; id propterea, ut, quanto robuſtiores ipſi ſunt, tanto naſcituræ ſtirpi ſemina valentiora ſuppeditent. Quod niſi fiat, patrum ſuorum macritudinem pulli referent. Equabus contra ſub tempus admiſſuræ & rorigæ pabulum minuunt, ne obefiores factæ, ſteriles euadant. Dum ſerunt autem, maiore diligentia, indulgentiusq; tractanda ſunt: id quonam modo, poeta tradit. Occaſione tabani fabella de Io in vaccam mutata inferitur. Vitulus editus ſtatim ſua nota diſtinguendus: ut pateat, num admiſſuræ, an ſacrificio, an arationi deſtinetur. Docet deinde, quomodo habendi, qui agriculturæ præparantur. Tum à iuuenis ad equulos venit, qui vel militiæ, vel certaminibus ludicris deliguntur, & qua curatione habendi ſint, monet. Et quia tam bubulo, quàm equino generi immoderata Venus nocumentum non leue dat, quid agendum ſit, præcipit, diſertiſſimeq; & feſtiuiſſimè tauri in pugna deuicti mores complectitur. Locus communis de ſtimulis Venereis, rabieque in hominibus, & animalibus, & ad probationem belliffima inductio: ſed in primis libidine concitari equas, quæ nonnunquam è vento grauidentur. Ibidem de Veneno, quod ab illarum naturalibus deſtillat, & ad philtra aſſumitur, vocaturq; hippomanes, quia libidinem inſanam ſcilicet, equarumque libidini ſimilem in animis ingenerat. Et hæc quidem de equis, & bobus, de quibus libri pars prior eſt.

Posterior in grege conſumitur. Agit de ouibus, & capris, earumque paſtione gemina, æſtina, & hyberna videlicet, ut Afri, & Scythæ paſcere ſolent. Jam verò quamquam harum rerum per diſſicilis videatur explicatio, ſe tamen (quod proſectò magni eſt animi) perrupturum omnem diſſicultatem affirmat. Diſputat de lanitio ouium, de lactis auctu, de canum cuſtodia: quorum etiam uſum eſſe vult in venando: nam nec venatione agricolis interdicitum eſt penitus. Affertur doctrina de fugandis, interimendisque venenatis animalibus. Agitur de pellendis, auertendisque morbis pecudum. Ad vltimum, ſeuiffima hominum, beſtiarumque peſtilentia ſacundiſſimè, multisq; verſibus quaſi oculis ſubiicitur, in qua hypotypoſi liber finitur.

## EXPLANATIONES.



I E quoq; magna Pales, & te memorande canemus  
Paſtor ab Amphryſo: vos ſyluæ, amnesq; Lycæi.  
Cætera, quæ vacuas tenuiſſent carmina mentes,  
Omnia iam vulgata. quis aut Euryſthea durum,

5 Aut illaudati neſcit Buſitridis aras?

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?

Hippodameq; humeroq; Pelops inſignis eburno,

Acerequis? TENTANDA VIA EST, QVA ME QVOQVE POSSIM

TOLLERE HVMO, victorq; virum volitare per ora.

TE QVOQVE MAGNA PALES) De animalibus ſcripturus, non immeritò (id quod prudenter animaduertum eſt à Seruio) deam pabuli inuocat: ſicut cum de frumentis, & vitibus eſſet acturus, Cererem & Liberum inuocauit. Et cum aliud quodammodo carmen, paſtorale ſcilicet, inchoare aggrediatur, poſt abſolutum

Ageorgicum, non iniurià nouo vitur exordio: ut taceam, quamquã eodem omnia quatuor, de quibus totidem libris agit, pertineant, tamen conſeſſum eſſe ſcriptoribus ut animos lectorum iteratione præciorum reficiant.

MAGNA PALES) Pales infra hoc eod. libro venerandam vocat. Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonan-

sonandum. Eandem deam inuocat in Culice, eiusque regnum & potestatem exprimit his carminibus, vt quidem ea correxit ex Pithœi codice Scalig. F.

Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit Agrestium bona fors, cura securata tenes que Herbiferos saltus nemorum, syluasq; virentes.

Ad Palem ait pertinere agrestium bonam sortem, hoc est, copiam lactis, quia est νομια, & pastoralis dea. Quem prouetum lactis securum ob omni cura dixit: quia sine vlla cultura, ac labore illud percipiunt pastores: quum contra agricolae maximis sudoribus terram subigant, vt ex ea percipiant fructus. Cura securata, Græcorum est γυμνασιων ἀγρονας, ἰερῶν ἀνιέγες. Hæc Scalig. Pastorum dominam vocat Ouid. 4. Fast.

Quæ precor eneniant, & nos faciamus ad annum Pastorum domine grandia liba Pali.

\* Festa huius deæ appellabantur Palilia, seu Parilia, quod pro partu pecorum ei sacrificaretur 12. Calend. Maias. Videndus Ouid. in Fastis. Palilibus obseruatum, ne qua hostia caderetur, quod cum diem, qui patriæ natalis esset, à sanguine deceret esse purum. Vide Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 22. & ibid. Tiraquell. Et quia huius Deæ festa, quæ tam admodum dicuntur, indicauimus, aliorum quoq; deorum, dearumq; festa suis nominibus distinguemus ex Theodoro de curatione Græcarum affectionum Serm. 7. His itaq; dijs, inquit, infestus homini demones dicitur, sollemnes ceremonias, populariaq; conuiuia celebrari instituit, suis quoq; nominibus, ac titulis insignita, Ioui quidem Pandia, & Diasia, Heræa vero Iunoni, Minerva Panathenæa, Baccho Dionysia, Cerei Eleusinia, & Thestnophoria, Apollini Delia, & Pythia, Hermeæ Mercurio, Posidonia Neptuno, Herculi Heraclea, Asclepia, & Panacia Esculapio. Et ceteris præterea, quorum sane magna est turba, suas cuiq; solennitates dicauit, singulorum demonum nomine eas vocans. Palilibus condita Urbis Romæ, inquit Suetonius in Caligula cap. 16. decretum quo, ut dies, quo capisset imperium (puta monstri illius Caligula) Palilia vocaretur, & eius argumentum rursus condita Urbis.

PASTOR AB AMPHRYSO) Amphrysus est fluuius Thessaliam, circa quem spoliatus diuinitate Apollo, ob Cyclopas occisos, Admeto regi pauisse armenta fertur: quocirca eum in presens inuocat. Vocatur etiam Nomius, vel τὸ πῖς νομῆς, id est, à pascuis, vel τὸ τῶν νομῶν, id est, à lege chordarum. Hæc Seruius. Immo & alijs nominibus à re pastorali, seu ab officio, ac munere pastoris ductis appellatur à Græcis, ποιμνίῳ, ἀγροίῳ, ἐπιμήλιῳ, ἀρονόμῳ, & παῖῳ.

De Apolline pastore in Thessalia, petam aliquod carmina à Tibull. lib. 2. eleg. 3.

Pauit & Admeti tauros formosus Apollo, Nec cithara, intonsa profuerunt iue coma. Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas, Et potum pastas ducere fluminibus. Et miscere nouo docuisse coagula lacte, Lacteus & mistis obriguisset liquor. Ab quoties illo vitulum gestante per agros Dicitur occurrens erubuisse soror. Ab quoties ausa, caneret dum valle sub alta, Rumpere mugitu carmina docta boues.

Hac de re, de semet, inquam, pastore memorat idem Apollo apud eundem poetam li. 3. eleg. 4. in hunc modum,

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuenas Non est in vanum fabula ficta iocum, &c.

Sequitur autem Tibullus, vt annotatum est à Mureto in eius scholiis, Rhiani veteris poetæ Græci, & Callimachi μυθολογίας, qui vltro ac sponte sua, ipsius videlicet amore captum, Admeto Apollinem seruisse referunt: non propter Cyclopas (quia nimirum Ioui fulmina fabricassent, quibus ipse Phaetontem ipsius Apollinis, siue Solis filium, curram paternum malè moderantem excussisset, interfecissetq; interemptos, quæ vulgata est narratio. Cui Apollodorus addit lib. 3. Iouem fuisse eum in tartara iam iam deiecturum: sed Latonæ precibus exoratum, iussisse, vt mercede seruiret. Apollinem Admeto

Aseruisse, boues omnes gemelliparas fecisse. Tamen apud Euripidem in Alcestide tragœdia, statim ab initio id confitetur. ὦ δάματ' ἀδμήτει, &c. Carmina Callimachi ex hymno in Apollinem consideranda demus, ex quibus cur seruiret, & quanta eius in re pastoritia potestas, liquerebit.

Φοίβω γὰρ τὸ ξὸν ὀπιτρέπεται καὶ αἰδίη. Κεῖν δ' ἰδὲ καὶ μάντιες ἐκ δὲ νυφοῖσιν Ἰητροὶ δειδάσιν ἀνάβλησιν θανάτοιο. Φοῖβον καὶ Νόμιον κικλήσκοντες, ἐξ ἔτι κείνῳ Ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρυσῶ ζευγῆτιδάς ἐτρεψεν ἵππους, Ἡὶ δὲ ἐν ἵπρωτι κεκαμμένῳ Ἀδμήτοιο. Φεῖά κε βροχόσιον τελέδοι πλέον, ὅδ' ἐκὼν αἴγες Δεῦοιντο βρεφῶν ὀπιμηλάδ' ἔσιν Ἀπόλλων Βοσκομένης ὀφθαλμῶν ἐπήγαγεν, ὅδ' ἀγάλακτος Οἶες, ὅδ' ἀκνδοὶ, πᾶσαι δὲ κεν εἶεν ἵππαιοι. Ἡ δὲ κε μνοτόκῳ, διδυματόκῳ αἴψα γένοστο.

Ille sagittantes sibi deligit, ille poetas: Phæbo cum iaculis sunt & pia carmina cura, Sortilegiumq; nota, & vates: quin & duce Phæbo Adiiscunt medici properantem auerere mortem, Dicimus & pastorem cognomine Phæbum, Ex quo quadrijugos Amphrysi ad flumina pastor Pauit equos, magno Admeti succensus amore. Pascua plena virent, nec sunt sine mollibus hœdis Inter oues capra quos vultu respicit aquo Phæbus oberrantes: nec sunt sine lacte bidentes, Nec steriles vnquam: iuneli errant omnibus agni: Quæq; erat vnipara, hac pariet mox facta gemellos.

Atq; hic, quoniam opportunitas data est, qui nam de diis, deabusq; hominibus seruirent, ex Protrept. Clem. Alexandr. dicamus. Plures siquidem, quod turpissimum profectò, ab eorumq; maiestate alienissimum est, serui hominū facti sunt. Iugum seruile subiit Apollo Admeto Phæris, Hercules Sardibus Omphalæ, Laomedonti autem fuit mercenarius Neptunus, & Apollo, sicut seruus inutilis, qui nec libertatem quidē potuit consequi à primo domino. Tunc etiam muros Troiæ ædificarunt. Nō pudet autē Homerum dicere, Mineruam Vlyssi præluxisse, aureā lucernam tenentem manibus. Legimus autē Venerem tanquam lasciuam, & intemperantem quampiam ancillulam, lecticam Helenę appofuisse ex aduerso adulteri, vt eum ad cōcubitum alliceret. Panyasis autem alios quoque plurimos deos refert seruisse hominibus, sic scribens.

Passa Ceres passusq; insignis Mulciber, estq; Passus Neptunus, passusq; est Phæbus Apollo Mortali ipse suas operas mercede locare, Passus Marsq; ferox, urgente hoc patre coactus.

Hactenus Clemens.

CÆT. QVÆ VACVAS. T. C. MEN.) Multa sunt apud poetas, siue in doctrina poetica, quæ vacuas hominum mentes, non grauibus, & quotidianis curis intentas delectare possunt, quamquā non sine fruge aliqua. Veruntamē ea iam suos inuenisse tractatores, & explicatores affirmat. Ne quis autem diu hæreat, quænam illa tandem sint, exemplis aliquot subiectis rem declarat. Ita per cōparationem argumentum susceptum commendat, attentionemq; lectorum captat, quasi minimè multorum aliorum more ludicra, fabulosa, & leuia, sed vera, grauia, plena vtilitatis cantaturus sit.

Prope ausim dicere, locum hunc totum ex Chæriilo expressum atq; effectum mihi videri. Legitur enim quidam illius versus, quibus queritur, præcipua argumenta scribendorum poematum à vetustis poetis occupata iam esse. Eadem est Virgilij conquestio.

Α' μα' α'ρ, δ' ε' ι' σ' ε' ν' κ' ε' ι' ν' ο' ν' χ' ε' ρ' ο' ν' υ' δ' ε' ι' σ' α' ι' δ' ω' ν  
 Μυσάων θεράπων, δ' α' κ' ε' ι' ε' ρ' α' τ' ο' ν' η' ν' ε' τ' ι' λ' ε' ι' μ' ω' ν.  
 Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασαι, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχνας  
 ὧσ' αὐτοὶ ὡς δέμον καταλείπουσ', ἴδ' ε' τοι ἔσαι  
 Πάντη παπταίνοντα νεοζυγὲς ἄρμα πελάσαι.

Videtur tamen Chærilus non ita contemptus & abiectus poeta fuisse, ut eum haberi voluit Horatius: quamquam & alij, quorum maior est auctoritas, malè de eo multò ante Horatium senserunt. Versus hic ipsius, π' ε' τ' ε' γ' ο' ν' κ' ο' ι' λ' α' ι' ν' ε' ρ' α' ν' ι' s' υ' δ' α' τ' ο' ν' ε' ι' δ' ε' λ' ε' γ' ε' ι' μ' ο' ν' , multos nihilominus, magnosque imitatores habuit. Muret. libr. 12. cap. 14.

**EVRVSTH.DVRVM**) Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, ut tot monstra superaret, quibus posset perire. Vnde eum durum appellavit, qui potuit ad complendum odium nouercae sufficere. Seruius. Plurimos tamè labores suscepit Hercules sponte sua, quos ei Eurystheus iste nequaquam imperavit.

**ILLAVD. BVSIR. ARAS**) Docet Gell. lib. 2. cap. 6. & ex eodem Macrobi. Saturnal. lib. 6. cap. 7. Grammaticos quosdam nobiles, qui commentaria in Virgilium composuerant, reprehendisse nonnulla verba, ut ignauiter, & abiecta posita In illis est, illaudati, in hoc carmine, *Aut illaudati nescit Busiridis aras.* Parum idoneum verbum esse dicunt, neq; id satis esse, ad faciendam scelerati hominis detestationem: qui, quòd hospites omnium gentium immolare solitus fuit, non laude indignus, sed detestatione, execrationeque totius generis humani dignus esset. Respondet bifariam. Primò, nemo quisquam tam effers est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat: vnde hic antiquissimus versuum prouerbij vice celebratus est. *π' ὀβ' λ' α' κ' ι' κ' α' ι' κ' η' π' ο' ρ' ο' s' ἀν' η' ρ' μ' α' λ' α' κ' α' κ' α' ε' ι' ο' ν' ε' ἴ' π' ε' ν.* Sed qui omni re, atque omni tempore laude vacat, is illaudatus est, isque omnium pessimus deterrimusque est: sicut omnis culpæ priuatio inculpatum facit. Inculpatum autem instar est absolutæ virtutis. Illaudatus igitur quoque finis est extremæ malitiæ. Itaque Homerus non in virtutibus appellandis, sed vitiis detrahendis laudare ampliter solet, appellans heroas illos *ἀμύμονας*, inculpatos. Sic Epicurus maximam voluptatem detractionem, priuationemque omnis doloris definiuit. *Ὁρ' ο' s' μ' ε' γ' ε' δ' ο' s' τ' ὠ' ν' ἡ' δ' ο' ν' ἠ' ἡ' π' α' ν' τ' ο' s' ἔ' ἀ' λ' γ' ὤ' ν' τ' ο' ὄ' π' ε' ξ' α' ἴ' ρ' ε' ι' s' .* Eadem ratione Virgilius inamabilem dixit stygiam paludem. Nam sicut illaudatum *κατὰ* laudis *ἐρήσιν*, ita inamabilem *κατὰ* amoris *ἐρήσιν* detestatus est. Secundò laudare significat prisca lingua nominare, appellareque. Sic in actionibus ciuilibus laudari id dicitur, quod est nominari. Illaudatus enim est, quasi illaudabilis, qui neque mentione, neque memoria vlla dignus, neque vnquam nominandus. Sicut quondam à communi consilio Asia decretum est, uti nomen eius, qui templum Ephesiæ Dianæ incendisset, ne quis vllò tempore nominaret. \* *Exponit igitur*

**Gellius, illaudati Busiridis, nec nominandi, laudare enim est nominare. Plaut. Capt.** Id ut scias, Iouem supremum testem laudo Hegio. Adde ex Budeo Annotat. in Pand. *Laudare tamen, quòd verbum est ipsum iuris, si quis diligenter aduertat, non modo nominare, sicut Gellius, & Macrobius dixerunt, sed etiam nominatim citare significat, & appellare, hoc est, iudicio dictato interpretare. Cic. 3. de Orat. de Carneade loquens, Huius ego est multis auditoribus Athenis cognoui, tamen auctores certissimos laudare possum (μ' ε' γ' ε' ν' ο' s' ε' π' ι' ν' γ' ε' ι' φ' ε' ρ' α' γ' ὀ' ν' ἠ' α' μ' α' ι' ) ἔ' σ' ο' c' e' r' u' m' m' e' u' m' S' c' a' u' o' l' a' , q' u' i' c' u' m' R' o' m' a' a' u' d' i' u' i' u' s' a' d' o' l' e' s' c' e' n' s' . L' e' g' e' q' u' a' s' e' q' u' u' n' t' u' r' . p' a' g' . 269.*

Seruius vocem *illaudati*, ad Busiridis encomium refert: ut si laudatus sit, *π' ὀ' β' λ' α' κ' ι' κ' α' ι' κ' η' π' ο' ρ' ο' s' ἀ' ν' η' ρ' ο' s' ἀ' μ' ο' ν' α' s' ,* κατὰ λόγους à Rhetore eius commendatio tentata sit. Busiris, inquit Philargyr. Ægypti Rex omnibus annis Ioui hospites immolabat. Nam per octo annos sterilitate Ægypto la-

Aborante, Pygmalion Cyprius finem non futurum ait, nisi sanguine hospitis litatum fuisset. Primus autem Thyestes alienigena immolatus, originem sacrificio dedit. Alij sic. Busiris Neptuni filius, Rex Ægypti, qui cum Ioui hospites immolaret, pari exemplo maectatus est ab Hercule, ipsum quoque ausus aris admouere.

Busiris Libya Iouis nepte, & Neptuno satus, cum in Ægyptum commigrasset, ibique urbem de suo nomine dictam condidisset, hospites sacrificare consueuerat. Hunc Polycrates Rhetor & Sophista exercitationis causa, ut videtur, defenderat: sed malè, quod ei obiicit Isocrates, & quemadmodum defendendus, ac laudandus fuisset, in eam rem composita oratione hominem docet.

**CVI NON DIC. HYLAS PVER**) Horat. cum scripsit illa, Ode 6. lib. 1-

*Nos Agrippa neq; hac dicere, nec grauem Pelida stomachum cedere nescij, &c.*

Et epist. 1. lib. 1. *Prima dicte mihi, summa dicende Camæna,* verbo signantissimo vsus est, quo ipsum *ε' π' ο' s' e' x' p' r' i' m' i' t' u' r.* Quamquam vox *dicere*, etiam ad alia carminum genera sæpe transfertur. *ε' π' ο' s' e' i' g' i' t' u' r* ab *ε' π' ο' s' d' i' c' o.* Nam ut oratio, quamuis competat omni hominum dictioni, tamen vni eloquentiæ attributa est, cuius auctor solus, orator appelletur: ita dictioni, quamquam est communis omnium locutioni, tamen solis dactylicis senariis magniloquis attributa fuit. Vnde ab Horatio forte epos, & Varius epicus nominatus, pro nobilissimo poeta. Scalig. lib. 1. cap. 41. \* *De usurpatione verbi dicere, apud poetas, monuimus adhibitis exemplis ad Eclog. 5. sibi, ego dicere verius. De Hyla eclog. 6. ut litus Hyla, Hyla omne sonaret.*

**LATONIA DELOS**) Latoniam vocat Delon, quoniam ibi Latona peperit Apollinem, & Dianam. Vide quæ scripsimus in 3. Æneid. *Quam pius arcitenens, &c.* Huc opportunè adiciemus versiculos Theognidis, qui initio gnomarum suarum compellans Apollinem, eiusque se nunquam non memorem futurum promittens, ita subnectit.

*Φοίβε ἀναε, ὅτε μὲν σε θεὰ τέκε πότνια λητώ,  
 Φοίνικ' ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαλαμένη,  
 Ἄθανάτων κάλλισον ὅππ' ἔσχεο ἰδέϊ λίμνη,  
 Πᾶσα μὲν ἐπλήθη Δῆλον ἀπειρεσίην  
 Ὀδμῆς ἀμβροσίης.*

Sententia est, Phæbe Rex, quando te dea, veneranda Latona peperit, teneris manibus palmā complexa, immortalium pulcherrimum, ad rotundam paludem, tota Delos amplissima diuino quodam odore plena fuit. De eiusdem Latonæ partu in hac insula Homerus Odyss. lib. 2. & hymno in Apollinem, Callimachus hymno in Delum insulam, Ouid. 6. Metamorph. 55.

**HIPPODAMEQUE, HVMEROQUE PELOPS**) Vtriusque fabulam & Hippodamiæ, & Pelopis disertè Seruius narrat, quæ consulas licet. Pindarus *ἐ' δ' α' ι' . Olymp.*

*Ἐπεί νιν καδαρὸν ἔλεσεν ἔξ' εἴλης  
 Κλωθὸν ἐλέφαντι φαίδιμον  
 ὧμον κεκαμμένον.*

**QUA METOLLERE HVMO**) Horat. Ode. 2. libr. 3. de virtute.

*Cætus vulgares, & vdam Spernit humum fugiente penna.*

Quia humus demissa est, & in infimo iacet, & pedibus feritur, ideo humilia nominamus, quæ nullo in honore, quæ contempta, & abiecta sunt, quæ negliguntur. Item humi iacere est despici, nihili fieri, ignorari. Ergo tollere se humo, erit nomen sibi parare, in hominum notitiâ peruenire, insigni videlicet facinore aliquo. Exprimunt hoc Germani, *Sich auß dem Staub machen.* 57

VICTOR) Id est propositi effector, vt quidem explanat Seruius. consecutus quod optaueram: quo intellectu hac voce pluries vsus reperitur. Infrà de Erichonio, *rapidisq; rotis insistere victor*. Turneb. in Varron. de ling. Latina. lib. i. Victor qui aliquid absoluit, & perfecit. Vt infra quoque, *Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro*. Sic Varroni rex, vbi ait, Quartus, vbi est aditus, & initia regis: quò si perueniam, scientiam ad opinionem aucupabor. Interpretatur Turneb. Qui ad quartum gradum peruenit, is rex fuerit, & planè numeris omnibus rem absoluerit. Tale illud Horatianum: *at. pueri ludentes, rex eris aiunt Si rectè facies*. Aufon. *Qui faciet rectè, non qui dominatur, erit rex*.

VIRVM VOLITARE PER ORA) Apparet ab Ennio mutuarum: is enim sibi hoc meditatus est epitaphiũ,

*Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu*

*Faxit. cur? voluto viuũ per ora virũ.*

10 Primus ego in patriam mecum (modò vita superfit)  
Aonio rediens deducam vertice Musas:  
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:  
Et viridi in campo templum de marmore ponam  
Propter aquam, tardis ingens vbi flexibus errat  
15 Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.  
In medio mihi Cæsar erit. templumq; tenebit.  
Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,  
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.  
Cuncta mihi Alpheum linquens, lucosq; Molorchi,  
20 Cursum, & crudo decernet Græcia cæstu.  
Ipse caput tonsæ folijs ornatus oliuæ  
Dona feram. iam nunc solennes ducere pompas  
Ad delubra iuuat, cæfosq; videre iuuenos:  
Vel scena vt versis discedat frontibus, vtq;  
25 Purpurea intexti tollant aulæa Britanni:  
In foribus pugnam ex auro, solidoq; elephanto  
Gargaridũm faciam, victorisq; arma Quirini:  
Atq; hinc vndantem bello, magnumq; fluentem  
Nilum, ac nauali surgentes ære columnas.  
30 Addam vrbes Asiæ domitas, pulsumq; Niphatem,  
Fidentemq; fuga Parthum, versisq; sagittis.  
Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa,  
Bisq; triumphatas vtroque ab littore gentes.  
Stabunt & Parij lapides, spirantia signa,  
35 Assaraci proles, demissæq; ab Ioue gentis  
Nomina, Trosq; parens, & Troiæ Cynthius auctor.  
Inuidia infælix Furias, amnemq; seuerum  
Cocyti metuet, tortosq; Ixionis angues,  
Immanemq; rotam, & non exuperabile saxum.

Paraphrasin docti hominis subijcio, quod saepe etiam per postiores hosce duos libros facturum sum, quomodo & in prioribus duobus superioribus feci. Desidero enim, quantum consequi possum labore, industria & meo, & alieno Marte omnia lectori aperta reddere, & quam clarissima eius menti luminaprapandere. Sed verborum satis. Nam si Deus opt. max. vitam mihi concesserit, viresq; ingenij subministraverit: primus ego ex latinis scriptoribus, suscepta cum Græcis velitatione, de re rustica, & pastorali commentari aggrediar: & ipsam

Nullis autem mortalibus perinde concessum est hoc dicere, & ita gloriari, quam qui studiis se litterarum inuoluunt, & nomen suum aliorumque ad posteros semper victurum per ingeniorum suorum monumenta transmittunt. Testem producam maiorem exceptione Senecam, cuius hæc est oratio in Consolat. ad Polybium, cap. 37. Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. Hoc enim vnum est ære humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat verustas. Cætera quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut marmoreos tumulos in magnam euctos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & ipsa intereunt. immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum colloca. Hinc & illa Horatij. *Exegi monumentum, ære perennius*, &c. aliorumq; poetarum magnificæ voces, æternitatem famæ sibi pollicentium.

B Græciam in Italiam transferre conabor. Quo in certamine talem me geram, vt de Hesiodo, cæterisq; Græciæ poetis, tanquam victis, & calamo superatis hostibus, triumphum deinceps acturus sim. Itaq; in agro Mantuano, vbi meum est prædium, iuxta amnem Mincium, partæ victoriæ monumentum erigam, excitata æde marmorea: in cuius medio Augusti Cæsaris, tanquam Dei tutelaris, simulacrum collocabitur. Nam huius erit,

quicquid laudis & gloria à superatis Græciæ scriptoribus ad me redierit. Ludos etiam Circenses, & certamina equestria in honorem eiusdem instituiam: & centum quadrigas ad Mincium fluuium agitabo. Accedent huc omnes Græcorum palæstræ, & ludi Olympici, ac Nemeæi: quorum illi Pisis iuxta Alpheum fluuium: hi prope sylvam Nemeam antiquitus exercebantur. Præterea ne quid vsquam ad magnitudinem huius poetici triumphis desit, ego pōrificali veste indutus, sacra faciam, & victimas Dijs immortalibus offeram. Atq; aded iam nunc pompas ad templum illicò deducere, & cæfas pecudes aspectare cupio. Quid? quod ne ludos quidem scenicos, & pompas theatrales omitturus sum? Nam modò in hanc, modò in aliam partem scena conuersa, depictos in aulæis triumphos Cæsaris, & rerum gestarum species commonstrabit. Postremò templum ipsū varijs picturis, & statuis vtrinque ornabitur in foribus. Nam ex vna parte pugnas, & victorias Augusti Cæsaris, auro & ebore cælati imaginibus repræsentabit: neque quicquam eorum, quæ ad laudem & decus Cæsaris pertinere videbuntur, à me prætermittetur. Hic ipsum Antonium, & Cleopatram Ægypti reginam, ab Augusto Cæsare ad Actium victos, cum trophæis, & æreis columnis constituam. Ibidem vrbes Asiaticas, & Asiæ superatos Armenios addam. Signa item, M. Craffo olim à Parthis adempta, & nunc iterum ab iisdem Cæsari redita, coniungam. Denique omnes ad occasum & ortum pacatas gentes: quæ magnitudinem & victoriam populi Rom. reuerentur, adijciam. Ex alia verò parte templi progenitores Augusti Cæsaris, in marmore excisi, tanquam viuæ imagines, conspiciuntur. Hic videre erit, Dardanum Ioue genitum, Aslaracum, Erichthonium, Troem, ac Troiæ auctorem Phæbum Apollinem: & qui continua serie, ad hunc vsque Cæsarem Augustum ab illis propagati sunt. Vbi hæc maleuoli, & homines inuidi limis oculis aspexerint, totis animis contremiscent: & pauidi, in tenebris humi reptitantes, furias vltices, aliasq; pœnas infernales extimescent.

PRIMVS EGO IN PATRIAM) Lucretij versus vtiq; voluebat animo, cum hæc scriberet, nempe illos lib. 4. *Ania Pieridum per agro loca, nullius ante Trita solo,* &c. alibi enim protulimus. Prædicat ijs, se primum extitisse, qui res philosophicas carmini submisit. Sic Ennius gloriatus est, ante se nullum visum poetam latinum egregium, seque prodijisse principem, qui iter ad Heliconem inuenerit: qui præcesserint, eos rudes atque impolitos fudisse versus, qualia olim oracula Fauni cecinerint.

*Versibus quos olim vates, Fauniq; canebant,  
Cum neq; Musarum scopulos quisquam superarat,  
Nec dicti studiosus erat.*

Sic item Horat. Ode. 1. lib. 3.

*carmina non prius  
Audita Musarum sacerdos  
Virginibus, puerisq; canto.*

Ode. 30. eiusdem lib.

*Dicar, quæ violens obstrepit Ausidus:  
Et qua pauper aqua Daunus, agrestium  
Regnavit populorum, ex humili potens  
Princeps Æolium carmen ad italos  
Deduxisse modos, sume superbiam  
Quæstam meritis: & mihi Delphica  
Lauro cinge volens Melpomene comam.*

Et ep. 19. lib. 1.

*Libera per vacuum posui vestigia princeps,  
Non aliena meo pressi pede: qui sibi fidit  
Dux, regit examen.*

Propert. lib. 3. eleg. 1.

*Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos  
Italæ per Graios orgia ferre choros.*

Vide in super Georg. 4. ad illa, *Hæc super aruorum cultu,  
pecorumq; canebam.*

VITA SUPERBIT) Exquisite, & compertè Iulius Paulus dicebat, *superesse*, non simplici ratione dici tam latinè quam græcè. Græcos enim *σπεύειν* etiam in vtraque parte ponere: vel quod superuacaneum esset, ac nõ necessarium: vel quod abundans nimis, & affluens, & exuperans. Sic quoque nostros veteres *superesse* aliàs dixisse, pro superfluo, & superuacuo, neque admodum necessario, ita vt supra posuimus Varronem dicere, aliàs ita, vt Cicero dixit, pro eo, quod copia quidem, & facultate cæteris anteciret: tum supra modum, tum & largius, prolixius fluere, quam esset satis. Hoc autem in loco Virgilius *ἀνυπόρθεον* hoc verbo vsus videtur, quod *superfit* dixit, pro longinquius, diutiusq; absit. Illud contra eiusdem Virgilij, est probabilis,

*Florentesq; secant herbas, flumi osq; ministrant,  
Farrag; ne blando nequeant superesse labori.*

Significat enim, supra laborem esse, neque opprimi à labore. Gellius lib. 1. cap. 22. \* *Sed Virgilius hanc vocem superfit. ea notione adhibuit, quæ restet, reliqua sit, seu diutius adsit, aliorum bonorum scriptorum exemplo: & Gellius sic licere loqui, ibidem affirmat. Quare non est locutus ἀνυπόρθεον.*

IDVMÆAS PALMAREF.) Idumæas palmas ab Idumæ Phœnicis oppido, vbi palmarum magna frequentia. Lucan. lib. 3. *Gazaq; & arbusculo palmarum, diues Idumæ.*

TEMPLVM PONAM) Ponere templa crebrum poetis. Sic lib. 4. Æneid. *Templa Ioui centum, latis immania regnis, Centum aras posuit.* Alicubi dixit, *templa tibi statuam.*

PROPTER AQVAM) Propter cum accusandi casu, est prope, iuxta. Eclog. 8. *Propter aquarium viridi procumbit in umbra.* Cic. in Bruto. In pratulo propter Platonis statuam confedimus. Lib. 2. de Inuent. Fluius Euratas, qui propter Lacedæmonem fluit

IN MEDIO CÆS. TEMP. TEN.) Quasi futurum fuerit sacrarium quoddam, & cella interior in medio templo, & ibi Cæsaris, tanquam dei simulacrum. Vide Turneb. lib. 10. cap. 11.

CENTVM QVADRIVGGOS AGITABO) Sucto. in Domitian. Circensium die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Centum missus Circenses sunt, inquit Seruius, vnius diei: centum enim currus mittebantur. Vltimus autem missus, ærarius vocabatur: quanquam & centum pro multis poetarum consuetudine accipi possent. Turneb. lib. 5. cap. 4.

AD FLVMINA) hoc est, ad Euripum Circensem. Manil. lib. 4.

Littoribusq; nouis per luxum ludere ponto,  
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta.

Noua littora euripos, & noua flumina in circo emissaria vocat, quæ ipsa dicit ficta flumina Cassiodor. Circenses quasi Circuenses, propterea quòd apud antiquitatem rudem, quæ necdum spectacula in ordinem deduxerat fabricatum, inter enses & flumina locis virentibus ageretur. Fluminibus ergo successit Euripus, qui, vt ait idem Cassiodorus maris vitrei reddebat imaginem: vnde illuc Delphini æquorei aquas interfluebant. Scalig. F. in Manil.

ALPHEVM LINQ. IVC. MOLOR.) Ad honorem meum ex alijs agonibus ad me certatura Græcorum multitudo conueniet. Per Alpheum Iouis Olympici agonem

nem significat. Alpheus siquidem fluvius est Elidis, quæ civitas iuxta Pisam est, in qua colitur Olympius Iupiter. Per lucos Molorchi intellige sylvam Nemeam, in qua celebrabatur agon in honorem Archemoti cuiusdam pastoris. Molorchus autem pastor fuit, qui Herculem venientem ad occidendum Nemeam leonem, suscepit hospitio. Eos autem ludos accipimus per Alpheum, qui olympiaci dicuntur: per lucos Molorchi eos, qui Nemeæa vocantur. Hactenus Seruius.

**CVRSV ET CRVDO CÆSTV**) Cursu & cæstu cõcertatur lib. 5. *Æneid.* ibi dictum de cæstibus. crudus cæstus id est durus.

**TONSÆ FOLII OLIVÆ**) Tonsæ oliuæ, minutis foliis composita, vt, *tonsisq; ferunt mantilia villis*: Seruius.

**SOLLEMNES. D. POMP.** De pompa triumphali accipiendum est, in qua & boues mactabantur. Pompam dictam scribit *Isid.* lib. 18. *ἡ δὲ πομπή*, hoc est, publicè ostentare.

**VEL SCENA VT VERSIS**) Hic existimo significari scenam, quæ peractos habet, vbi versatiles sunt machinæ, auctore Vitruuio, & Polluce, quæ versatæ, quæ extra urbem, aut in vrbe erant, ostendebant: nam & dextræ, & sinistra erant *Turneb.* lib. 5. cap. 4.

**PVRP. INTEXTI TOLL.**) ideo ait, quia in ludis scenicis aulæum tendi solebat. *Cic.* pro *Cælio*. Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur. *Apuleius*, aulæum remoueto. His autem verbis Maro ludos scenicos, & theatrales significat, vt antè gymnicos, & palæstricos. Estque phantasia: nam cum tollitur aulæum, leuaturq; per sona ei intexta ipsum leuare videtur. *Ouid.* 3. *Metâ.*

*Sic ubi tolluntur festis aulæa theatris,  
Surgere signa solent, primumq; ostendere vultus,  
Cætera paulatim, placidoq; educta tenore  
Tota patent, imoq; pedes in margine ponunt.*

Idem lib. & cap. eodem. Aliam explicationem secundum historiam videas licet apud *Seruium*.

Inuenitur etiam aulæa numero singulari, quomodo Græci vtuntur. *Curtius* lib. 8. Cùm post aulæam, quæ lectos obduceret staret rex. Aulæa ab aulis regum, in quibus expanduntur. Eadè vocantur Attalica à ditissimo rege Pergami in Asia, qui aurum ipsæm intexere docuit. Item *Babylonica*. Nam *Babylonij* colores diuersos picturæ vestibus intexere consueuerant. Nomine stragula vestis latinè indicantur. Græcis peristromata peripetasmata, tapetes, tapeta, tapetia. Si animalia habet intexta, vocantur belluata tapetia, *ζωωτά* à Græcis. Pallia item à quibusdam dicuntur, vt *Vlpiano*, cum pallium alioqui sit vestis Græcorum propria, vnde palliatæ fabulæ. Hæc ex *Budæo* Annotat. poster. in *Pand.*

**IN FORIBVS PVG. EX AVRO, SOLID. ELEPH.** De foribus tēplorum, quomodo eas ornaret antiqui, dicitur lib. 6. *Æneid.* super illis, *in foribus lethum Androgeo*. vt hic solido elephato, ita 3. *Æneid.* secto elephanto, pro rebus ex ebore compositis, & pro ebore secto. Non esse dētes, sed cornua elephanti vult *Pausan.* de quo alibi.

**GANGARID. PVG.**) Alludit, credo, Maro ad *Phidias* opus, & commentationem, qui *Mineræ* statuam egregiè fabricauit, amplitudine cubitorum 26. quæ ex ebore, & auro constabat, in cuius scuto *Amazonum* prælium cælauit, deorumq; & Gigantum dimicationem. Sic autem solido auro, & elephanto dixit, vt *Val.* lib. 8. cap. 16. *Gorgia* verò *Leontino* vniuersa Græcia in templo *Delphici Apollinis* statuam solido ex auro posuit, cum cæterorum ad id tempus auratas collocasset. *German.*

Meminit hic Maro gentis, Romanis armis nondum subactæ, sed vt optat, & auguratur, ab *Augusto*

vincendæ, & de *Gangaridis* Indiæ populis victoriam, & lauream optat *Augusto*, quos inuictos, & exterorum armis semper intactos fuisse constat, vt res *Augusti*, aliorum facta superent. Cæterum illi populi Indiæ à *Ptolemæo* *Gangaridæ*, ab aliis vt *Diodoro* lib. 3. *Gandaridæ* vocantur. Eorum etiam regio à *Strabone* *Gandaris* appellatur. *Valer.* autem *Flaccus* *Gangaridas* populos *Scythiæ* commemorat, hoc versu. *Misit in arma Darabs, accies quem Marsia curru Gangaridum.* *Turn.* lib. 5. cap. 4.

**VICTORIS QVE ARMA QVIRINI**) Per victorem *Quirinum*, accipe *Augustum*. Nam tractatum est in *Senatu*, an, quia cõdidisset imperium, *Romulus* vocaretur. Sed sanctius & reuerentius visum est nomen *Augusti*, ait *Florus* in extrema historia.

**MAGNUMQ; FLVENTEM NILVM**) Omnium fluminum, quæ in maria, quæ imperium Romanum est, fluunt, quæ Græci *τὴν ἐσω θάλασσαν* appellant, maximus esse *Nilus* consentitur: proxima magnitudine *Istrum* scripsit *Salustius*. *Varro* autem, cum de parte orbis, quæ *Europa* dicitur, dissereret, in tribus primis eius terræ fluminibus *Rhodanū* esse ponit: per quod videtur eum facere *Istro æmulum*. *Istrus* enim quoq; in *Europa* fluit. *Gell.* lib. 10. cap. 3. De *Nilo* multa in *Natur.* *Seneca* lib. 4. cap. 2. Quod quidem ad institutum facit, subiiciam. Hinc iam manifestus nouarū virium *Nilus*, alto, ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem exeat, obiectu montium pressus.

**Circa Memphin** demum liber, & per campestria vagus, in plura scinditur flumina, manuq; canalibus factis, vt sit modus in deriuantiū potestate, per totam discurrit *Ægyptum*. Initio deducitur, deinde continuatis aquis in faciè lati ac turbidi maris stagnat: cursum illi, violētiamq; eripit latitudo regionū, in quas extenditur, dextra læuaq; totā amplexus *Ægyptum*. *Diodor.* lib. 1. c. 3. *Nilus* à meridie ad septentrionē fertur, ortus ex fontibus, in extremis *Æthiopiæ* finibus. Maximū omnium flumen, cùm per varias, pluresq; feratur regiones, magnos flexus facit, quandoq; ad orientē & *Arabiam*, quandoq; ad occidentem, & *Libyā* fluens, &c. Idem de caussis incrementi *Nili*, & earū ignorātia in extremo cap. Dicitur est à *Nilo* rege *Nilus*, cùm antea *Ægyptus* diceretur. Cur *Nilus* cū tribus vnus figuraretur, *Pier.* lib. 4. 6. principio. Fluuiorū namq; fontiumq; simulacra cum vnus dedicabatur. Ex quo est illud, *Calatag, amnem fundens pater Inachus vna.*

**FIDENT. F. P. V. SAGIT.**) *Parthos* fugientes ex equis pugnare, traditum est. *Horat.* *Ode* 19. lib. 1. *Et versis animosum equis Parthum dicere.*

**RAPT. M. TROPH.**) id est, raptim, & sine labore quesita. Non est otiosa hæc adiectio *manu*. Innuat siquidē poeta, non hoc auspiciis imperatoris gestū bellū: sed eū præsentem, & *ἀνλοπέσωπον* huic bello, prælioq; præfuisse, quasi sociū, cõsortemq; periculi: vt lib. 9. de *Alcanio*, *fortemq; manu fudisse Numanū*: quod ibi *Iulus* nō solum bellico negotio auctoritatē præstitisset, sed *ἀντόχης*, & *ἀντιρῆς* percussor *Rutuli* insolescentis fuisset. *German.*

**DIVER. EX HOSTE**) orientis & occidentis: vnde & ab vtroq; littore: orientis propter *Gangaridarum*, occidentis propter *Britannorum* triumphum. Ita *Seruius*.

**TRIVMPHAT. GENT.**) Triumphare appellatum, quod cum Imperatore milites redeuntes, clamitāt per urbem in *Capitolium* eunti, id triumphè id. Idq; à *θεῖα ἄλκυ* *Liberi* patris cognomento potest dictum esse. *Varro* lib. 5.

**ASSARACI PROLES**) Ex *Ioue*, & *Electra* *Atlantis* filia nascitur *Dardanus*, ex quo *Erichthonius*, cuius *Troius*, cuius *Assaracus*, cuius *Laomedon*, & *Cypus*. Et *Laomedontis* *Priamus*, eius *Hector*, & cæteri. At *Cypus* *Anchises*, cuius *Æneas*, cuius *Iulius*, à quo *Iulia* gens stemmate descendit ad *Cæsarem*. Alij sic: *Per*

Per Assaracum Troianos dicit: nam Assaracus auus An- chisæ. Ennius. *Assaraco natus Capys optimus, isq; pius, ex se Anchisen generat.* Ergo Assaraci familia vique ad Augustum peruenit. Philargyr.

TROIÆ CYNTHIVS AVCTOR) Troiæ aucto- rem Cynthium, siue Apollinem nominat, quod constat, Ilium ab Ilo Apollinis monitu conditum. Vide Ger- man. Quod eius oraculo monitus Ilius, cum in Mæsia pe- cus pasceret, Ilium in summo colle condiderit, vt est apud Lycophronis interpretem. Alciat. Parerg. lib. 6. c. 6.

*Auctor hic non qui ipse fecerit, sed qui suaserit, monuerit, horta- tus sit, non, inquam, effector, molitor, sed suaser, impulsor, consilia- rius. Cic. pro domo sua. Hic mihi grauisissimus auctor ad instituedam, fidelissimus socius ad comparandam, fortissimus adiutor ad rem per- ficiendam fuit. Epist. lib. 10. Primum capis adere pacem, cuius fue- ram semper auctor.*

INVIDIA INFÆLIX) Autumat Maro, rerum ab Augusto gestarum magnitudinem esse tantam, vt inui- dia suum in eas liuorem non sit ausa expromere. Tur- neb. lib. 9. cap. 28, Seruius hoc modo. Dicit se talia scrip- turum, vel facturum, quæ magnitudine sui mereantur inuidiam: ipsam tamen inuidiam nihil esse nocituram, timore pœnarum.

- 40 Interea Dryadum syluas, saltusq; sequamur  
Intactos, tua, Mæcenas, haud mollia iussa.  
Te sine nil altum mens inchoat: en age segnes  
Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cithæron,  
Taygetiq; canes, domitrixq; Epidaurus equorum:
- 45 Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.  
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas  
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,  
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

DRYADVM SYLVAS) Dryades creditæ sunt fuis- se nymphæ, quæ cum arboribus & nascerentur, & in- terirent. Plura Natalis Comes lib. 5. cap. 11. Dryades, & Hamadryades, ait Gyrald. Syntag. 5. nymphæ syluestres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum est, & speciale quercus, vnde & Querquetelanæ nymphæ, ait Festus, præsidentes querceto virescen- ti, &c.

SALT. INTACTOS) Saltus intactos vocat, quo- niam ante se nullus latino carmine res rusticas sumps- erit ad explicandum: & se, vt id faceret, Mæcenas aucto- ritate, ac iussu adductum: quanquam res minimè faciles. Vt si diceret illud Ciceronis, Magnum opus, & arduum: sed nihil difficile amanti puto.

TE SINE NIL ALT. MENS) Non meo fretus in- genio, sed tuo imperio commotus ad hanc scriptionem accessi. Hortantur nos etiam illi montes animalibus re- ferti, & canes Laconici. Taygeta ciuitas Laconia. Ser- uius. Altum exponit Nonius magnum, gloriosum.

DOMIT. EPIDAVRVS EQVORVM) Quod dicit de Epidauro, domitrix equorum, Græcis est εὐπιπῶ, εὐ- πῶλον. Strabo lib. 8. δὲ τὴν καὶ τὸ γένος τῶν ἰππῶν καὶ τῶν τῶ ἀρκάδιον, καὶ ἀπὸ τῆς καὶ τὸ ἀργολικόν, καὶ τὸν ἐπιδαύριον. Ciui- tas est Illyrij nobilis Epidaurus, Æsculapij tutela, & au- rea eburneâq; eius statua, à Thrasymede Pario sculpta, vel certè absoluta, pallio quidem (vt & Eusebius descri- psit) amicta, & baculo sinuoso, serpentis nexu inuoluto innixa. German.

VOC. ING. CLAM. CITHÆRON) Bœotia mons Cithæron, vbi opima pascua. Hic me ad scribendum hortatur. De pascuis se dicturum innuit.

AMNEMQVE SEVERVM) Sic Lucret. lib. 5. *Propter At- lantæum littus, pelagæq; seuera.* Vbi pelage græcum est, πηλάγιον, vt μέλι mele. Intellige autem per pelage seuera non nauigabilia, & quæ non præbent se nauigantibus placata, aut facilia, sed infesta, inimica. Sic Plaut. in Tri- num. Neptunum seuerum dicit. *Namq; te omnes sanum- quæ seuerumq; atq; auidis moribus commemorant.* Rur- sum Cistell. *Hæu, voluisti istuc seuerum facere?* Quo lo- co Melanis meretrix Alcesimarchum adolescentem alloquitur, qui se ferrum tenens interficere voluerat. Ex Lamb. in Lucret.

TORT. IXION. ORBES) Rotam significat, ferre- am, inquam, rotam, cui apud inferos fuit alligatus, cum eo, vt eius perpetuo circumactu versaretur, nec vn- quam quiesceret. Iunonem videlicet ad stuprum secum faciendum inuitarat, & ea se potitum gloriatus impu- dentissimè fuerat, cum ei Iupiter nubem in speciem Iu- nonis conformatam obiecisset. De hoc supplicio re- fert Tibull. quoq; lib. 2.

*Illic Iunonem tentare Ixionis ausi  
Versantur celeri noxia membra rota.*

TAYGET. CAN.) Taygetus mons Laconia, Tay- geta ciuitas eiusdem regionis. Canes Laconicos signifi- cat, qui sunt laudatissimi. Et dicendum etiam erit hoc li- bro de canibus, pecuariis nimirum, adeoq; de venaticis: nam & venatum permittit rusticis Virgilius. &

INGEM. REMUGIT) Alibi, *Non canimus surdis, respondet omnia sylue,* per Echo videlicet. Seruius.

MOX TAMEN ARDENTES) Æneidem pollice- tur, cuius libr. 6. genus Augusti, libr. 8. res gestas per- stringit.

TITHONI PRIMA QVOD ABEST) Dicit se ef- fecturum, vt fama factorum eius tot annos duret, quot anni sunt ab ipso, vsque ad mundi principium. Titho- num pro Titane, id est, pro sole posuit, vt monet Ser- uius. Nescio tamen, an vnquam apud poetas Græcos, aut Latinos hæc metonymia reperiatur, Tithonus pro Titane: cum & sententia huius loci optimè constatura sit, si referamus originem Tithoni Phrygis ad Darda- num, vel ipsum Iouem κατ' ἐξοχήν, in gratiam Iulie fami- liae, per Æneam, & Creusam à Ioue, Dardano, & Titho- no ex ordine oriundæ, cum & Tithonum quoq; Propert. eo loco respexisse videatur, eleg. 1. lib. 2.

*Nec mea conueniunt duro præcordia versu  
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.*

Eustathius certè Homeri interpretes historica fide Titho- num fratrem Laomedontis fuisse narrat: allegorico au- tem commento τῆσανδρὸν solem dici, δὲ τὸ πανταχῶς τῆς γῆς τιτάνειν τὰς ἀκτῖνας. German. Ab infinito infinitum, inquit Philargyr. quia Tithoni origo non potest com- prehendi. Et satis in Cæsarem blandè.

Seu

- Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,  
 50 Pascit equos, seu quis fortes ad aratra iuuenos,  
 Corpora præcipue matrum legat. optima toruæ  
 Forma bouis, cui turpe caput, cui plurima ceruix,  
 Et crurum tenus à mento palearia pendent.  
 Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:  
 55 Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.  
 Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo:  
 Aut iuga detrectans: interdumq; aspera cornu,  
 Et faciem tauro propior: quæq; ardua tota,  
 Et gradiens ima verrit vestigia cauda.  
 60 Ætas Lucinam, iustosq; pati Hymenæos  
 Desinit ante decem, post quattuor incipit annos:  
 Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.  
 Interea, superat gregibus dum læta iuuentus,  
 Solue mares, mitte in Venerem pecuaria primus:  
 65 Atq; aliam ex alia generando suffice prolem.

SEU QVIS OLYMPIACÆ) siue quis studio equo-  
 rum alendorum tenetur, ob victorias olympicas, quod

ἰπποτεροφείν, τὸ δεῖπνον ποτεροφείν dicebatur. Horat. Ode i. lib. i.

*Sunt quos curriculo puluerem Olympicum*

*Collegisse iuuat: metag, fernidis*

*Euitata rotis, palmaq; nobilis*

*Terrarum dominos euehit ad Deos.*

Victoria autem curulis certaminis in ludis olympicis e-  
 rat omnium nobilissima, vt Herodoti locis plurimis, è  
 Pindaro, & i. Tuscul. intelligi potest. Turneb. libr. 22.  
 cap. 13.

Olympionicæ, victores in ludis Olympicis: non  
 enim tantum cursu equorum certabatur, sed pugilatu  
 etiam, & alijs: & omnium olympionicarum summa glo-  
 ria. Cic. pro Flacco, pugil olympionices, quod est apud  
 Græcos prope maius, ac gloriosius, quam Romæ trium-  
 phasse. Quare & Diagoras habitus felicissimus, qui vno  
 die tres olympionicas vidisset. Cic. i. Tuscul. Plutarchus  
 in extremo Pelopida. §

De origine ludorum olympicorum legendus Pau-  
 san. lib. 5. testatur Themistius grauiissimus auctor, Elæos,  
 siue Pisatas tanti olympiacum illum suum oleastrum  
 fecisse, vt præter ingenuos, quique parentes legitimos  
 docere possent, & τὴν πρῆξιν τῆς βλάστης ἀπέειπον (vt ipsius  
 vtar verbis) ad munus exercendi cursus nullum admit-  
 terent, immò tales ceu profanos, & reijculos à sacris il-  
 lis veteribus quam longissimè arcerent. Iunius lib. 4.  
 cap. 21.

De auctore horum ludorum, & quo tempore in-  
 stituti sint, verba Velleij de lib. i. tibi annumeremus.  
 Clarissimum deinde omnium ludorum certamen, &  
 ad excitandam corporis animique virtutem efficacissi-  
 mum Olympiorum initium habuit, auctorem Iphitum  
 Elæum. Is eos ludos mercatumq; instituit, ante annos  
 quam tu M. Vinici consulatū inires D. CCCCXXXIII.  
 Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur ab hinc annos  
 ferme M. CCL. Atreus, quum Pelopi patri funebres  
 ludos faceret: quo quidem in ludicro omnis generis  
 certaminum Hercules victor extitit. Hucusque Velle-  
 ius. De eorundem auctoribus consule Diodorum lib. 4.  
 qui Herculi & Argonautis tribuit. Atque vt Olympici  
 ludi, seu certamina fuerūt, sic etiam Pythia, Isthmia, Nemea,  
 quorum priora duo dijs maiorum gentium Ioui,

& Apollini, posteriora duo indigetibus Palæmoni, &  
 Archemoro sacra fuerunt. Et ibi præmia victoribus co-  
 ronæ oleaginæ, & laureæ; hinc & pineæ, & ex apio. De  
 his extat epigramma Archia, Anthol. lib. i. tit. i. τὸ σπῆλαι  
 εἶσιν ἀγῶνες, &c. Ausonius interpretatur.

*Quattuor antiquos celebravit Achaia ludos,*

*Calicolūm duo sunt, & duo festa hominum.*

*Sacra Ioui, Phæboq; Palæmonis, Archemoriq;*

*Serta quibus pinus, poma (laurea cum baccis)*

*& oliua apium.*

Et de locis horum agonum.

*Prima Ioui magno celebrantur Olympia Pise.*

*Parnassus Clario sacrauit Pythia Phæbo.*

*Isthmia, Portuno bimaribus dicat alta Corinthus,*

*Archemori Nemea colunt funebria Theba.*

Et de auctore.

*Primus Olympiaca sacrauit festa coronæ*

*Jupiter argiuus stadia ad longissima Circi.*

*Proximus Alcides Nemea sacrauit honorem.*

*Hæc quoq; temporibus quinquennia sacra notandis,*

*Isthmia Neptuno data sunt, & Pythia Phæbo,*

*Ancipiti cultu diuorum, hominumq; sepultis.*

Distinctè item singulorum certaminum, auctorum, lo-  
 corum, præmiorum mentionem fecisse Statium video,  
 principio lib. 4. Thebaid. De iisdem copiosè Alex. lib. 5.  
 cap. 8. Natalis comes Mythol. lib. 5. cap. 1. & deinceps  
 sequentibus. Budæus in Pand. Qui in vno horum qua-  
 tuor vicissent, Hieronicæ dicebantur. Qui in omnibus  
 quatuor periodi victores à circuitu eorum speculato-  
 rum videlicet. De eorum honoribus etiam Vitruuius  
 lib. 9. §

FORTES AD ARATRA IUVENCOS) Cic. 2. de  
 nat. deor. cum diuinam providentiam in certis anima-  
 libus demonstrat, ea dicit de boue, quæ huic loco vehe-  
 menter conueniunt. Quid de bobus loquar? quorum  
 ipsa terga declarant, non esse se ad onus accipiendum fi-  
 gurata, ceruices autem nata ad iugum: tum vires hume-  
 rorum & latitudines ad aratra extrahenda, quibuscum  
 terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo ge-  
 nere, vt poetæ loquuntur, vis nulla vnquam afferebatur.

OPTIMATOR VÆ FOR. BOVIS) Optimum ex-  
 plicatorem horum certaminum fore arbitror Varronem  
 lib. 2. de re rustica, cap. 5. vbi, quis sit probatissimus habi-  
 tus, quæq;

tus, quæq; optima forma bouis (seu maris seu feminae) A his verbis tradit. Qui gregem armentorum emere vult, obseruare debet primum, vt sint hæ pecudes ætate potius ad fructus ferendos integræ, quam iam expertæ: vt integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis, & nigris, pilosis auribus, compressis malis, submissis, gibberis, spina leuiter remissa, apertis naribus, labris subnigris, ceruicibus crassis ac longis, à collo pallearibus demissis, corpore amplo, bene costato, latis humeris, bonis clunibus, caudam profusam vsque ad calces: vt habeant inferiorem partem frequentibus pilis subcrispam, compactis cruribus potius breuioribus, quam longis, rectis genibus, eminulis, distantibus inter se: pedibus non latis, neque B ingredientibus qui displodantur, nec cuius vngulæ diuarricent, & cuius vngues sint leues & pares: corium attactu non asperum & durum: colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio, heluo, quarto albo. mollissimus enim hic, vt durissimus primus. In eod. cap. post. principium, bouis laudes exequitur, quod etiam præstat Columella præfat. lib. 6.

Nihil verat Columellam adiungere. Eius verba deprompta sunt è lib. 6. cap. 1. Parandi sunt boues nouelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, ac nigrantibus, & robustis, fronte lata, & crispa, hirtis auribus, oculis, & labijs nigris, naribus resimis, patulisq; ceruice longa, & torosa, pallearibus amplis, & pæne ad genua promissis, pectore magno, armis vastis, capaci, & tanquam implente vtero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorso erecto planoque vel etiam subsidente, clunibus rotundis, cruribus compactis ac rectis, sed breuioribus potius, quam longis, nec genibus improbis, vngulis magnis, caudis longissimis, & setosis, pilosisque, corpore denso, breuique, colore rubeo, vel fusco, tactu corporis mollissimo. Idem separatim de forma tauri, cap. 20. & de forma vaccæ cap. 21. Disce hoc etiam ex Varrone eodem libr. cap. 5. quatuor esse gradus ætatis in bubulo genere. I. vitulorum. II. iuuenorum. III. bouum nouellorum. IV. vetulorum. Discernuntur in

prima vitulus, & vitula: in secunda iuuenus & iuuenca, in tertia & quarta taurus & vacca. Quæ sterilis est vacca, taura appellatur: quæ prægnans, horda.

TYRPE CAP.) Amplum atque magnum, ac per hoc terribile. Philargyr.

CAMVRIS CORNIBVS) Nonius agnoscit, cameris, citans hunc versum, & interpretatur, obtortis. Vnde & cameræ, inquit, recta in curuitate formata. Camuri bouum sunt, docente Seruio, qui conuersa retrorsum cornua habent: quibus contrarij, patuli, qui cornua diuersa habent: læui, quorum cornua terram spectant. His contrarij licini, qui cornua sursum versus reflexa habent.

GRAD. IMA VERRIT VEST. CAUDA) Lib. 8. de delphinibus in clypeo Æneæ. aquora verrebant caudis, æstumq; secabant.

ÆTAS LVCINAM, IVSTOS QVE) Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Non minores oportet inire bimas, vt vt trimæ pariant: eò melius, si quadrimæ. Pleræq; pariunt in decem annos, quædam etiam in plures. Quod Virgilius de bucula, simile quiddam Horat. de equa, Ode. II. lib. 3.

Quæ velut latis equa trima campis  
Ludit exultim, metuitq; tangi,  
Nuptiarum experts, & adhuc proteruo  
Cruda marito.

C Lucina dicta Iuno, & quod partibus præsit, & lucem nascentibus præstare dicatur. Sic Terent. And. Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

CETERA NEC FOETVRÆ) Cætera, subaudi ætatis. Et est sensus, ante quartum annum incommodam partui, post decennium aratro inhabilem.

SVPER. DVM. L. I. SOLVE MARES) Hoc vult, iuuenili ætate debere concumbere, quoniam meliora tempora citò depereunt. Seruius.

PECVARIA) Non loca sed ipsa pecora intelligit per vocem pecuaria, vt alibi idem æstiuæ dicit pro pecoribus, quæ in æstiuis agunt, nec singula morbi corpora corripunt, sed tota æstiuæ repente. Philargyr.

OPTIMA QVÆQVE DIES MISERIS MORTALIBVS ÆVI  
PRIMA FUGIT: SVBEVNT MORBI, TRISTISQVE SENECTVS,  
ET LABOR, ET DVRE RAPIT INCLEMENTIA MORTIS.

Semper erunt, quarum mutari corpora malis.

70 Semper enim refice, ac, ne post amissa requiras,  
Anteueni, & sobolem armento sortire quotannis.  
Nec non & pecori est idem delectus equino.

Tu modò, quos in spem statuis submittere gentis,  
Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.

75 Continuò pecoris generosus pullus in aruis  
Altius ingreditur, & mollia crura reponit:  
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces  
Audet, & ignoto sese committere ponto:

80 Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga:  
Luxuriatq; toris animosum pectus: honesti  
Spadices, glauciq;: color deterrimus albis,  
Et giluo) tum, si qua sonum procul arma dedere,

Stare

85 Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,  
 Collectumq; premens voluit sub naribus ignem:  
 Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo:  
 At duplex agitur per lumbos spina: cauatq;  
 Tellurem, & solido grauiter sonat vngula cornu.  
 Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis  
 90 Cyllarus, & quorum Graij meminere poetæ,  
 Martis equi biuges, & magni currus Achillis.  
 Talis & ipse iubam ceruice effudit equina,  
 Coniugis aduentu pernix Saturnus, & altum  
 Pelion hinnitu fugiens impleuit acuto.

OPTIMA QUÆQUE DIES) Docebit nos sapi-  
 entissimus vitæ ac morum emendator Seneca, quid ista  
 sibi velint, lib. de Breuitate vitæ, cap. 9. *Maxima vitæ  
 iactura dilatio est. Illa primum quemq; extrahit diem, illa  
 eripit presentia, dum ulteriora promittit. Maximum  
 viuendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex cra-  
 stino. Perdis hodiernum: quod in manu fortuna est dispo-  
 nis: quod in tua, dimittis. Quò spectas? quò te extendis? om-  
 nia quæ ventura sunt, in incerto iacent. Protinus viuere.  
 Clamat, ecce maximus vates, Optima quæq; dies miseris  
 mortalibus Prima fugit. Quid cunctaris, inquit, quid ces-  
 sas? Nisi occupas, fugit: cum occupaueris, tamen fugiet. Itaq;  
 cum celeritate temporis, velocitate certandum est. Hoc  
 quoq; pulcherrime ad exprobandam infinitam cogitatio-  
 nem, quod non optimam quamq; ætatem, sed diem dicit.  
 Quid securus, & in tanta temporum fuga lentus, mensis ti-  
 bi, & annos, & longam seriem, ut cunq; auaritati tua visum  
 est, exporris? De die tecum loquitur, & de hoc ipso fu-  
 giente. Non dubium est ergo, quin prima quæq; dies optima  
 fugiat mortalibus miseris, id est, occupatis: quorum pueriles  
 adhuc animos senectus opprimit, ad quam imparati iner-  
 mesq; veniunt. Nihil enim prouisum est: subito in illam, nec  
 opinantes inciderunt. Accedere eam quotidie non sen-  
 tiebant. Quemadmodum quos aut sermo, aut lectio, aut a-  
 liqua interior cogitatio iter facientes decipit, peruenisse se  
 ante sciunt, quam appropinquasse: ita hoc iter vitæ assidu-  
 um, & citatissimum, quod dormientes, vigilantesq; facimus,  
 occupatis non apparet, nisi in fine. Eisdem hocce versus,  
 dum docet, quo eos pacto philosophus consideret, rur-  
 sum doctissimè, & copiosissimè interpretatur epist. 108.  
 qua interpretatione adducenda, ne longior sim, su-  
 perfedebō. Virgilio similes scripsit Iuuenal. sat. 9.*

festinat enim decurrere velox  
 Flosculus angusta, miseræq; breuissima vitæ  
 Portio: dum bibimus, dum ferta, vnguenta, puellas  
 Poscimus, obrepit non intellecta senectus.

SYBEVNT MORBI) Heliod. ὅταν ἄνθρωπος ἐφ' ἡ-  
 μέρη ἢ δ' ἐπὶ νυκτὶ. Longis autem morbis senectus, acutis  
 adolescentia magis patet, ait Celsus lib. 2.

TRIST. SENECTVS) Terent. Phorm. ipsa senectus  
 morbus est. Prouerbiali figura dictum. Vnde illud fre-  
 quens apud Homerum, χαλεπὸν γῆρας, molesta senectus  
 Horat. ad Pisones.

Multa ferunt anni venientes commoda secum.  
 Multa recedentes adimunt. Et,  
 Multa senem circumueniunt incommoda.

Iuuenalis.

Circumsilit agmine facto Morborum omne genus.  
 Cæcilius. Adepol senectus, & si nihil aliud apportes  
 recum, cum aduenis, vnum id. sat est. Et senarius græ-  
 cus.

Φοβῶ τὸ γῆρας, ὃ δ' ἐρχεται μόνον.  
 Metue senectam, non enim sola aduenis.  
 Χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρῃ.  
 Odiosa hominibus est senectus sarcina.

Hinc Lucilius Anthol. lib. 1. cap. eis γῆρας ἢ γέροντας.  
 Ἐἴ τις γηράσας ἔην ἐν χεραῖς, ἀξίως ἐστὶ  
 Τηγάσκειν πολλῶν εἰς ἑτέων δευράδας.

Optat seni, cupienti vitam longiorem multas annorum  
 decurias, vt incommoda senectutis tanto diutius sen-  
 tiat.

Ex quibus omnibus perspicitur clarè, quàm non fal-  
 sò poeta noster senectutem tristem appellauerit. Plato  
 autem, siue Xenocrates in Axiocho, quam verè? Hinc a-  
 lia cogitanti obrepit senectus, in quam, quidquid natu-  
 ræ ruinosum est, & interitui obnoxium, confertim ef-  
 fundit se, atq; erumpit, & quidem ita, vt nullis remediis  
 hæc imbecillitas auerti queat, Quod si quis tardius velu-  
 ti debitum vitam reddiderit, natura tanquam fœnera-  
 trix instans, atq; vrgens, ab alio aspectum, ab alio audiu-  
 tum, sæpenumerò vtrumq; tanquam pignus exigit. Ac si  
 quis diutius maneat in vita, eum muneribus functioni-  
 busque corporis priuat, mutilum reddit, artus deniq; ea  
 infirmitate affligit, vt quasi luxati videantur. Alij ad ex-  
 tremum senectutis limen perueniunt, vt in ijs verum  
 comperiatur prouerbum, bis pueri senes, &c.

Senium, ait Nonius, est tædium, & odium, dictum  
 à senectute, quòd senes omnibus odio sunt, & tædio.  
 Cæcil. Ephæstione.

Tum etiam in senectute hoc de puto miserrimum,  
 Sentire ea ætate esse odiosum se alteri.

Quin etiam veteres senectutem appellabant malam æ-  
 tatem. Vide locum. Deteriorem vocauit Ouidius ali-  
 cubi.

jam mihi deterior canis aspergitur ætas,  
 Jamq; meum corpus ruga senilis arat.

Contra, bona ætas est adolescentia, vel iuuentus. No-  
 nius ibidem. Verumtamen, vt alia incommoda æquis  
 animus tolerabiliora facit, sic etiam senectutem. Qua de  
 re extant versiculi Comici Anaxandridæ. Vide insuper,  
 quemadmodum eam M. Tullius à quatuor malorum  
 generibus, quæ ei obiiciuntur, in Catone vindicet. Be-  
 roald. Annotat. in Seruium exponit *Tristis senectus*, id  
 est, querula, & morosa: sunt enim senes queruli, morosi,  
 anxij. Cic. in Catone, & Horat. ad Pisones. Virgilium i-  
 mitatus est Silius illo versu, *Curaq; insidieq; atque hinc  
 queribunda senectus*, quasi plena querimoniarum, quo-  
 modo à Virgilio tristis nuncupatur. Sed priorem expli-  
 cationem puto magis placituram lectoribus.

DVRÆ INCLEMENTIA MORTIS) Hæc vna du-  
 rissima omnium dearum, maximeque implacabilis ha-  
 bebatur: quæ cum nullis precibus flecteretur, nulla etiã

sacrificia, nec templa, nec sacerdotes, nec ritus sacrorum obtinuit. Huius duritiem, & implacabilem voluntatem ita significavit Orpheus in hymnis.

Οὐτε γὰρ εὐχαῖς σὸν πείθει μὲν, ἢ τελευταῖσιν.

Nec prece, muneribus nec tu placabilis ulli.

Natalis comes Mythol. lib. 3. cap. 3. \* Subtexamus Albino-  
mani versiculos.

Vita data est vrenda, data est sine favore nobis  
Mutua, nec certa persolvenda die.  
Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbiq;  
Illa rapit iuvenes, sustulit illa senes.  
Quaq; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem  
Fulminat, & cæcis caeca triumphat equis.

Sidonius item satis scite. O necessitas abiecta nascendis, misera vi-  
uendi, aurissima moriendi.

QVAVM MVTARI CORPORA MALIS) Itaq; B  
in pecudum foetura semper occurrent tibi effatae, quae  
valetudine afflicta, & senectute inualida erunt. Harum  
corpora vt cum vegetioribus permutes, antequam pro-  
creent armenta, diligenter prouidendum. Nam sobolis  
successione ea, quae decesserant, quasi sortitione quadam  
reparari, ac instaurari possunt.

QVOS STAT. IN SPEM. S. GENT.) Quos vis ad-  
missarios fieri. Notanda sane exquisita varietas. Nam vt  
in bobus matres ante describit: sic in equis admissarios  
ante commemorat. Seruius. Veruntamen admissarium  
respicit aptum ad gignendum equos circenses, & mili-  
tares. Quod dicit *submittere*, scriptores rustici admittere  
nominant: vnde & equus admissarius, & admissura, C  
& admissio.

Ad loquendi genus quod attinet, sic Iureconsult.  
I. quid ergo, π. de viu fructu. Interim tamen quamdiu  
submittantur, & suppleantur capita quae demortua sunt,  
& reliqua. Vbi Iureconsultus proprio verbo vsus est. Est  
enim submittere propagandae sobolis gratia matribus  
supponere, atque alendos praebere foetus. Columella  
lib. 7. de ouibus loquens. Hoc qui faciet, seruare debe-  
bit, ne minori quadrima, neue ei, quae excessit annos o-  
cto, prolem submittat: neutra enim aetas ad educandam  
est idonea. Item de bobus. Sed non est dubium, vbi pa-  
buli sit laetitia, posse omnibus annis partum educari: at  
vbi penuria est, alterius submitti. Idem, submitti autem D  
etiam in vicinia vrbs quandoque oportebit: nam ver-  
naculum pecus peregrino longe est vtilius: nec com-  
mitti debet, vt totus grex effectus senectute dominum  
destituatur: cum praesertim boni pastoris vel prima cura  
sit, omnibus annis in de mortuarum, vitiosarumq; ouium  
locum totidem, vel etiam plura capita substituere.  
Superius quoque Maro, Eclog. I. *Pascite vt ante bonos  
pueri, submitte tauros.* Columella lib. 4. etiam ad vites  
transtulit. At e contrario ad meridiem plures palmites  
submittantur, qui laborantem matrem aetius feruori-  
bus opacent. Bud. in Pand. German.

CONTINVO PECOR. GEN.) De indole, ac forma  
equi obseruanda, non illius quem ante diximus, cir-  
censis, militaris, sed vulgaris, idque dum pullus est, haec  
Varro. lib. 2. cap. 7. Qualis futurus sit equus e pullo con-  
iectari potest, si caput habet non magnum, nec mem-  
bris confusis; si est oculis nigris, naribus non angustis,  
auribus applicatis, non angusta iuba, crebra, fusca,  
subcrispa, subtenuibus fetis implicata in dexterio-  
rem partem cervicis, pectus latum & plenum, humeris latis,  
ventre modico, lumbis deorsum versus pressis, sca-  
pulis latis: spina maximè duplici, sin minus, non ex-  
tanti, coda ampla, subcrispa: cruribus rectis, & aequa-  
libus, genibus rotundis, nec magnis, nec introrsum  
spectantibus: vngulis duris, toto corpore vt habeat ve-  
nas, quae animaduerti possunt: quod qui huiuscemodi

A cemodi sit, & cum est aeger, ad medendum est apposi-  
tus: corpore multo.

Recitabo etiam locum Columellae, quem tu cum  
Varroniano, vtrumque autem cum Maroniano com-  
parabis. lib. 6. cap. 29. Cum vero natus est pullus, confe-  
stim licet indolem aestimare, si hilis, si intrepidus, si  
neque conspectu, neque rei auditu terretur, si ante gre-  
gem procurrat, si lasciuia & alacritate interdum, & cur-  
su certans aequales exuperat, si fossam sine cunctatione  
transilit, pontem, flumenque transcendit. Haec erunt  
honesti animi documenta. Corporis vero forma con-  
stabit exiguo capite, nigris oculis, naribus apertis, bre-  
uibus auriculis, & arrectis, ceruice molli, lataque nec  
longa, densa iuba, & per dexteram partem profusa, lato,  
& musculorum toris numeroso pectore, grandibus ar-  
mis, & rectis lateribus inflexis, spina duplici, ventre sub-  
stricto, testibus paribus, exiguis, latis lumbis, & sub-  
dentibus, cauda longa, & setosa, crispaque, aequalibus,  
atque altis, rectisq; cruribus, tereti genu, paruoque, neq;  
introrsum spectante, rotundis clunibus, feminibus to-  
rosis ac numerosis, duris vngulis, & altis, & concauis,  
rotundisque, quibus coronae mediocres superpositae  
sunt: sic vniuersum corpus compositum, vt sit grande,  
sublime, erectum ab aspectu quoque agile, & ex longo,  
quantum figura permittit, rotundum: Mores autem  
laudantur, qui sunt ex placido, & concitato mitissimi.  
Nam hi & ad obsequia reperiuntur habiles, & ad certa-  
mina laborum patientissimi. Vide Palladium praeterea  
lib. 4. tit. 13.

PECORIS GENEROSI PVLLVS) ἵππος ἐν γὰρ δὲ  
Xenophōti est equus generosus. Nobilem dicimus no-  
bilitate rerum, generosum autem eum, qui graece ἐν γέ-  
νῃς appellatur. Ita alter ex re, alter ex cognatione est.  
Cornel. Fronto. Veruntamen ex virtute etiam, non ex  
genere solo generosi dicuntur. Neque homines modò,  
verum & animantia, & inanima permulta. Vide Ti-  
raquell. de nobilit. cap. 2. Pulli dicuntur omnium animi  
nati, sed & animalium quadrupedum nati dicuntur pul-  
li, & homo paruus, pullus. Recentes ergo nati pulli di-  
cuntur eo quod polluti sunt. Isidor. lib. 12.

ALTIVS IN GREDITVR) Xenophon, ὁ μὲν τρωϊ-  
ζων ἑαυτὸν ἵππος σφῆδρα.

ET MOLLIA CRVRA REPOSIT) Idem. ὄγρη  
ἢ τοῖν σκελῶν γανειώμεν.

NEC VANOS HORRET STREP.) Etiam inter-  
iectione, quae & oratores, & historici frequenter vtun-  
tur, vt medio sermone aliquem inserant sensum, impe-  
diri solet intellectus, nisi quod interponitur, breue sit.  
Nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum descri-  
bit, cum dixisset, *Nec vanos horret strepitus*, compluri-  
bus insertis, alia figura quinto demum versu redit. *Tum  
si qua sonum procul arma dedere, stare loco nescit.* Haec  
Quintil. lib. 8. cap. 2.

ARGVTVM QVE CAPVT) Argutum aliquando  
est, quidquid habet συμμετρίαν τινα, & elegantiam: nu-  
gatur enim hic Seruius. Plin. lib. 35. primus symmetriam  
picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam ca-  
pilli. Scalig. F. in Append. Virgilij. Nonius interpreta-  
tur, paruulum ac latum caput. Occasione horum du-  
orum versuum, Apuleius de Deo Socratis, homines aequè  
spectandos docet, vt equos mercamur. Docet, inquam,  
quae potissimum in homine considerare debeamus. Et  
quia locus est haud inelegans, tibi auctor sum vt per o-  
tium legas. Neq; enim in emendis equis, vsq; ad, nec ab  
aetate mutabile.

SPADICES, GLAVCI QVE) Spadica, scribit Gell.  
lib. 3. cap. 9. Doribus esse auulsum e palma terminem  
cum

cum fructu: & in 2. lib. cap. 26. esse punice coloris speciem, cum quo facit Seruius enarrans hunc locum. Spadices, inquit, phænicatos vocant. Ad quod item spectare illud Firmici contenderim ex matheos 3. qui Veneris recensens decreta per singulas cæli stationes, illam facere quandoque linteones scribit, ac plumarios: quandoque vero tinctoros, & spadicarios, aut textores, aut pigmentorum inuectores. A Quintiliâno lib. 4. spadicinter organa musica reponitur. Rhodigin. lib. 9. cap. 4.

Multò breuius quam facilius hoc dictum à Marone cum generosorum equorum notas & colores demonstrat, censet Turneb. lib. 13. cap. 4. Neque enim si quis eius coloris sit, protinus probandus sit. Sed mihi videtur hoc Maro dixisse, ex illorum locorum seminio, in quibus illius coloris præstantissimi equi nascebantur, ut Mycenis, & Pellæ. Ut enim ad Clitumnum boues eximia formæ, hique candidi nascebantur, ita Mycenis equi glauci nascebantur egregiæ dignitatis, & Pellæ spadices insignis formæ. Atque illorum equorum species iactantior, & formosior, & ut Maro dicit, honestior quam fortior, & animosior, laborumque tolerantior erat. Ut ita Maronis verba accipi debere putem, mihi Gratius, qui Maronis ferè æqualis fuit, persuasit. Nam & de equis ita scribit.

*Consule Penei qualis perfunditur amne  
Thessalus, aut patria quem censpexere Mycena  
Glaucum, nempe ingens, nempe ardua tollit in auras  
Crura: quis Eleas potior lustrabit arenas?  
Ne tamen hoc attingat opus, iactantior illi  
Virtus, quam syluas, durumque, laceffere Martem.*

Iterum.

*Spadices vix Pellæ potuere Cerauni,  
Et tibi deuota magnum pecuaria Cirrha,  
Phæbe, decus nostras agere in sacraria thesas.*

His è Gratiij locis, equos ad speciem & pompam potius, sacraque curricula, quam ad bellicum opus, aut venatorium munus à Marone descriptos intelligimus, vel potius signatos.

ET GILVO) Giluum sunt, qui ex Palladio cineritium accipiunt, quamuis Seruius melinum interpretetur. Et melinus color à Melo insula Plinio: Plutarcho, cæterisque etiam pro candido accipitur. Audiamus, si placet, Germanum. Giluus color aliis buxeus est, aliis flauus, qui ex viridi, rufo, & albo concretus est. Gellius giluum vult esse medium inter nigrum & album. Seruius giluum melinum accipit. Mancinellus autem ex Plinio melinum album interpretatur, à Melo insula. Certè poeta Græcus epig. μέλινα λωμάτια vel ab insula, vel à colore pomi vocat. μέλιδος quoque, & μέλιτος à colore mellis χλωρόν significat.

DUPLEX SPINA) Duplex, id est, crassa, lata: quamuis dubitanter ista explicari sciam ab interpretibus. Sic duplici dentalia dorso dixit lib. 2. crasso, & lato. Turneb. lib. 13. cap. 1. & 27. cap. 35. De spina equi sic loquitur Xenophon libello de re equestri. Spina dorso supra armos paulò elatior, præbet opportunius sedile equiti, & armi ad reliquum corpus firmius compinguntur, si illa duplex fuerit: tum etiam & eques residebit mollius, & forma delectabilior erit.

95 Hunc quoque vbi morbo grauis, aut iam segnior annis  
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.  
Frigidus in Venerem senior, frustra que laborem

Gg 3

Ingra-

A SOLIDO VNGVLA CORNV) Non dicit Virgilius solido cornu distinctionis causa, ut quidam somniant, quia bouinum pecus habet fissam vngulam. Sed explicandus locus è verbis Xenophontis ex libro περί πικτήης. Sunt autem hæc. Πόδας δ' ἄν τις δοκίμαζοι πρώτον μὲν τὰς ὀνυχὰς σκοπῶν. οἱ γὰρ παχέας πολὺ τῶν λεπτῶν διαφέρουσιν εἰς ἐπιπέδων. In probandis igitur pedibus, primum vngula consideranda: spissa enim ad pedum bonitatem longè supra tenuem excellit. Deinde paucis interiectis addit Græcus auctor. καὶ τῶν ψόφῶν δὲ φησι Σίμων δῆλος εἶναι τὰς ἐπιπέδας, καλοῦς λέγων. ὥσπερ γὰρ κύμβαλον φοφῆται παχέας τῶν λεπτῶν ἢ κούρη ὀπλή. Id est. Rectè etiam Simon scripsit, sonitu deprehendi pedum bonitatem: non secus caua vngula: quam cymbalum resonat. Titius lib. 3. cap. 4.

AMYCLÆI DOM. POLL. HABENIS CYLL.) Interpretet Pollucem, qui pugil erat, pro Castore equorum domitore. Maronem dixisse putant: sed non censerim sic pugilatus studiosum fuisse Pollucem, ut nunquam in equo sederit: & Cyllarus alternis Polluci, & Castori seruiit. Papinius lib. 1. Syluar,

*Et pauet aspiciens Ledæus ab ade propinqua  
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas,  
Perpetuus frenis, atque vni seruiet astro.*

Nam equum Domitiani vni seruiturum astro dicit, non duobus, ut Cyllarus. Turneb. lib. 3. cap. 3. \* Amyclæ Urbis Laconia, vbi educati Castor, & Pollux, Tyndari regia. Alia hoc nomine Urbis fuit in Italia, de qua lib. 10. & tacitis regnavit Amyclis. De hisce duobus fratribus Arnobius lib. 1. vbi deos gentilium præ Christo irridet. Tyndarida Castores, equos vni domitare consuetos, alter pugillator bonus, & crudo in exsuperabilis castus, ignes & fulgures marini, & ouorum progenies dij.

GRAI MEM. POETÆ.) Nomine Graiorum poetarum maximè Homerum capimus, quem præteritum à Virgilio in omni parte operum suorum, cum præsertim Orphei, Musæi, Hesiodi, & Theocriti meminerit, satis admirari nõ possum. Atqui cum multa ab his, quos nominavi, mutuatus sit, Homerus tamen Mantuanus non immeritò à quibusdam appellatus est qui Homerum ferè totum Æneide sua expresserit. Vrsin.

D MARTIS EQVI BIIVGES) Homero δίζυγες ἵπποι: hi sunt Δεῖμος, & Φόβος. Iliad. ε. Lucretius libro 2.

*Hanc veteres Graiùm docti cecinerunt poeta:  
Sedibus in curru biuges agitare leones.*

Vrsin.

ET MAG. CVRRVS ACHILLIS) De Achille, & quare magnus diceretur, recordor me docuisse ad Eclo. 4. ibi, Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles. Hos currus Hector Doloni, quem ad castra Græcorum exploratum mittebat, in pretium promisit. Homerus Iliad. x. Virgil. Æneid. 12.

TALIS ET IPSE IYBAM) Fabulae habent, Saturnum Philyram Oceani filiam compressisse, veritumque ne adulterio Rhea vxor superueniret, in equum cõuersum. Hoc figmentum, ut tradit Pierius lib. 4. quidam ex Astronomis ad astri velocitatem referunt, cum amplissima cæli spatia diurno motu velocissimè transcurrat, si quanto distet interuallo, quamque magno circuitu supra planetas reliquos feratur, considerauerimus: quãuis altero motu, quem hi naturalem dicunt, tardissimus planetarum videatur.

Ingratum trahit: & si quando ad praelia ventum est,  
 Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,  
 100 Incasum furit. ergo animos, æuūq; notabis  
 Præcipue: hinc alias artes, prolemq; parentum:  
 Et quis cuiq; dolor victo, quæ gloria palmæ.  
 Nonne vides, cum præcipiti certamine campum  
 Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus?  
 105 Cum spes arreptæ iuuenum, exultantiaq; haurit  
 Corda pauor pulsans: illi instant verberare torto,  
 Et proni dant lora: volat vi feruidus axis:  
 Iamq; humiles, iamq; elati sublimè videntur  
 Aera per vacuum ferri, atq; assurgere in auras.  
 110 Nec mora, nec requies: at fuluæ nimbus arenæ  
 Tollitur: humescunt spumis, flatuq; sequentum.

TANTVS AMOR LAVDVM, TANTÆ EST VICTORIA CVRÆ.

**AVT MORBO GRAVIS)** Aptè morbo grauis, quoniam morbi graues dicuntur. Sall. Morbi graues ob inediam solitâ vescentibus. Sic dicimus morbum aggrauescere, id est, grauiorem fieri. Donat. in Hecyr. Ibidem morbo grauis, interpretatur languidus.

**ABDE. D. N. T. I. SENECTÆ)** Pars posterior cum priore videtur pugnare. Etenim quis equum senem possit abscondere, & simul eius senectuti non ignoscere. Quinimodò non alia ratione melius hic ignoscat, quam si domi detineat. Quapropter pro nec, lego *et*: nec debet hiatus carminis impedire quemquam, quò minus admittat hanc emendationem, cum idem etiam alibi in Virgilio reperitur, atq; adeo non longè ab his ipsis verbis, cum de Austro inquit, *Arcebis grauido pecori, armenta q; pasces*. Atq; haud scio, an hic hiatus quibusdam, vt & alibi, huius loci corrumpendi, ipsorum quidem iudicio emendandi, occasionem dederit. Canterus lib. 6. cap. 8. Seruius sic, abde, & ignosce senectæ, quæ turpis non est, quia per naturam venit.

**ABDE DOMO)** Vox *abdo*, frequentissimè cum accusandi casu, & præpositione in, reperitur. Virgilius tamen suo more, cum auferendi casu coniunxit. Liuius. Se in suis quisq; tectis abdiderit. Et iterum. Coll. in priuato abditi.

**FRIG. IN VEN. SENIOR)** Senior equus, in Venerem cum sit frigidiusculus, non modò saliendi fastidio afficitur, sed etiam ad laborem inutilis, ac ferè vitiosus redditur. Nam vbi matrem inierit, frustra suas vires tentabit, & citò admodum languescet: non aliter, atq; ignis, qui in stipulas coniectus, breui momento rursus euanescit. *Ein alter Hengst hat wol ein Herz, aber es ist nichts darhinder.* \* De equo dictum a Marone, etiam in hominem quadrat: cui calore per aetatem immutato, etiam Veneris cupido minuitur. Proinde monstruosum est videre amoribus deditos aut vetulos, aut Catulas. Et rectè Ouid. turpe senilis amor. M. Tullius in Catone, dum respondet ad quartam causam, per quam senectus videtur misera, quia priuet omnibus ferè voluptatibus. At non est voluptatum tanta quasi stillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, cū ex eo quidam iam confecta ætate quæreret, Steretiurne rebus Veneris. Dū meliora, inquit, libenter serò isthinc, tanquam à domino agressi ac furioso profugi. Cupidis enim talium rerum, odiosum & molestum est fortasse carere, & qua sequuntur.

**ERGO ANIM. ÆVVMQ. NOT.)** Quapropter diligenter obseruabis ætatem cuiusque, vt scias, qui equus cuiq; proli gignendæ sit utilis, aut ineptus. Nam marem

putant minorem trimo non esse idoneum admissuræ: posse verò vsque ad vicesimum annum progenerare: foeminam bimam rectè concipere: vt post tertium annum foetum enixa educet. Eandem post decimum non esse vtilem: quod ex annosa matre tarda sit atq; iners proles. Animos deinde, & virtutem notabis: vt scias qui ad ludos, & certamina Circensia potissimum adhibendi sint. Nam gloriæ studium, & laudis amor, non minus equo, quam viro inesse videtur. spe enim victoriæ excitati lætantur, & exultant: victi contristantur, & dolent, vt sequitur.

**NONNE VIDES, QVVM PRÆCIPITI)** Locum Homeri expressit, ex Iliad. 4.

Ἄρματα δ' ἄλλοτε μὲν χθονὶ πύλατο πολυβοτείρη,  
 Ἄλλοτε δ' αἰξασκε μετῆρα. τοὶ δ' ἐλατῆρες  
 Ἔσαν ἐν δὴφροισι πάτασσε ἢ θυμὸς ἐλάσῃ  
 Νίκης ἰεμένων, κέκλοντο ἢ οἰσιν' ἐλάσῃ  
 Ἴπποις, οἳ δ' ἐπέτοτρο κοινότες πεδίω.

Nonne videre est, quando in sacris certaminibus, v' iam intra carceres consistunt, & animi aurigarum aut spe victoriæ erecti sunt, aut metu ignominia trepidant, quam præcipiti cursu ferantur? quam modò humiles decurrant, modò sublimes in aere assurgant? Nulla hic mora equorum, nulla aurigarum. Hi verberibus à tergo imminent, & proni habenas laxant: illi rapido impetu currum promouent. Videas ibi sustolli ex humo puluerem: videas ora equorum spumis humescere: videas flatu ignitos, & feruidos è naribus emitti anhelitus. Tantis vtrisque est amor laudis & gloriæ, tanta victoriæ cupiditas. \* Illud nonne vides, è myrothecio Lucretiano petatum esse quod alibi vel admonuimus, vel admonebimus. Ista interrogatio affirmationem habet.

**AERA PER VACVVM)** Macrobius legit *tenerum*, pro vacuum, asseritque ad Lucretij imitationem dictum cuius versum adducit è lib. 2. *Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent.*

**FVLVÆ NIMB. ARENÆ TOLL.)** Lib. 8. pulueram nubem dixit. *Stant pauide in muris matres, oculisq; sequuntur Pulueram nubem.*

**TANTVS AMOR LAVDVM)** Quid ergo interest inquit Lactant. lib. 3. cap. 8. verum scientiam summum bonum putemus, an illa ipsa, quæ scientia ex se parit, id est, victum, gloriam, voluptatem? quæ non sunt homini propria, & ideo ne summa quidè bona. Nam voluptatis & victus

& victus appetentia non homini solum, sed etiam mutis inest. Quid cupiditas gloriae? nonne in equis deprehenditur, cum victores exultant, victi dolent? *Tantus amor laudum, tanta est victoria cura.* Nec immerito summus poeta experiendum esse ait, *Et quis cuiq; dolor vi-*

*Et, qua gloria palma.* \* *Non ita diversum est illud s. Aeneid. de naumachia certantibus. Exultantiaque haurit Corda paucorumpulsans, laudumque arrepta cupido. Vfus carminis erit, cum quempiam victoria cuiuscunq; perstudiosum aut esse, aut fuisse significabimus.*

Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus  
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.  
115 Fræna Pelethronij Lapithæ, gyrosq; dedere  
Impositi dorso: atq; equitem docuere sub armis  
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.  
Æquus vterq; labor: æquè iuuenemq; magistri  
Exquirunt, calidumq; animis, & cursibus acrem:  
120 Quamuis læpe fuga verfos ille egerit hostes,  
Et patriam Epirum referat, fortesq; Mycenæ,  
Neptuniq; ipsa deducat origine gentem.

PRIMVS ERICHTHONIVS) Fuit horum certaminum, & ludorum equestrium primus inventor Erichthonius, Vulcani filius, rex Atticæ: quem ad tegendos pedes draconæos primū equis iunctis fuisse vsum scriptores perhibent. Herodotus tamen in Melpomene, καὶ τέσσαρας ἵππους ζευγνύσαι αὐτῷ. λέγουσιν οἱ Ἕλληες μαμαθί-  
2351.

FRÆNA PELETHRONII) Thesalorum gentis inventum est, equos frænare, & ad cursum domare, dorsum conscendere, in gyros conuertere, solo insultare, & alterno crurum explicatu tollutim, aut quadrupedante passu raptim ingredi.

Doctissimorum scriptorum, qui vel solo nutu in sententiam omnes possunt trahere, inquit Turneb. li. 21. c. 9. longè alia mens est, in explicatione huius versus, quàm Grammaticorum. Cæsent enim hi, à Lapithis Pelethroniis, qui Pelethronium montem Thesaliæ incolèbant, ubi & oppidum eiusdè nominis erat, primū domitos equos fuisse. Sed Plin. lib. 7. cap. 56. Pelethronium hominis nomen proprium interpretatur, qui frænis, & stratis inventis primus equos domuerit, quæ eadem Solini sententia est. Verba Plinij sunt. Frænos & strata equorum Pelethronium inuenisse dicunt. Pugnare ex equo Thesalos, qui Centauri appellati sunt, habitâtes secundum Pelium montem. Sic gignendi casu accipiendum erit, Pelethroniis frænos equo impositi, & equitantis gyros dedisse Lapithas, equumq; consuefecisse superbos gressus glomerare.

EQUIT. DOC. SVB ARMIS) Ennius in 2. Annali. *Deniq; vi magna quadrupes eques, atq; elephanti Proiciunt sese.* Quo loco vox eques significat ipsum equum. Pleraque enim veterum ætas & hominem equo insidentem, & equum qui insideretur, equitem dixerunt. Propterea equitare etiam (quod verbum è vocabulo equi inclinatum est) & homo equo utens, & equus sub homine gradiens dicebatur. Lucilius equum equitare dicit his versibus.

*Nempe hunc currere equum nos atq; equitare videmus.*

*Hic equitat, curritq; oculis equitare videmus.*

Ennium igitur Virgilius imitatus est. Hæc summatim ex Gell. lib. 18. cap. 8. ex Nonio, & ex Macrob. Saturnal. lib. 6. cap. 9.

INSULTARE SOLO) L. Varius de Morte.

*Quem non ille sinit lentæ moderator habenæ  
Quæ velit ire, sed angusto prius ore coercens  
Insultare docet campis, singitq; premedo.*

Lucret. lib. 3. *Et contempsit aquis insultans, murmura ponti.* Horat. Ode 16. Epod. *Et urbem Eques sonante verberabit vngula.* Ennius Annal. 8. *Consequitur: summo sonitu quatit vngula terram.* Idem lib. 17. *Et eques, & plaustra caua concutit vngula terram.*

GRESSVS GLOM. SVB.) Gressus glomerare, Varro est, tollutim incedere: Plinio, tollutim carpere incessus: Martiali ad numerum colligere vngues, *ὑποπέδον.* Vnde equus tollutarius, gradarius, Asturco, cui, vt Plin. mollis alterno crurum explicatu glomeratio est. Germ.

ÆQVVS VTERQVE LABOR) Vterque labor, equum ad vecturam, siue ad curram trahendum, & fessorem vehendum assuefacere, æquus est, & vterque iuuenem equum, atque alacrem, & celerem requirit. Nihil enim refert, qualem sese annis præteritis gesserit, quos in bello hostes fugarit. Nihil item, aut parum refert, quibus ex locis, aut quo semine ortum quisque ducat: dummodo bonam, & generosam indolem adhuc in tenera ætate ostendet. Nam vt maximè Epiroticus sit equus, aut Mycenæus, adeoq; ab ipso Neptuni equo procreatus, nisi ille animum fortem, & alacrem præ se ferat, & annis viribusq; sit integer, frustra; vel ad aurigationes, vel ad equitationes adhibebitur.

MAGISTRI EXQVIRVNT) Cui præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus præsumt, debent, hi magistri appellantur. Quin etiam ipsi magistratus per deriuationem a magistris cognominantur: vnde & cuiuslibet disciplinæ præceptores, magistri à monendo, vel monstrando. Vlp. de verb. signif. Magistri dicti, quoniam magis ceteris possunt: vnde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm priuati. Alciat. ibid.

CVRSIVS ACREM) Acer significat celer, velox, Sic 4. Aeneid. *At puer Ascanius mediis in vallibus acris Gaudet equo.* Acre, austerum, asperum, acerbum. Varro Parmenone. Dimittisq; acres pectore curas cantu, castaq; poesi. Acre, seuerum. Cic. de Off. lib. 1. *Suum quoq; noscat imperium, acremque se & bonorum & malorum suorum iudicem præbeat.* Acre, forte. Virgil. lib. 7. *Aut acrem dubites in pralia poscere Turnum.* Acre, vehemens, Georg. 3. *acremq; molossium Pasce sero pingui.* Acer, prouidus, diligens. *fam tum acer curas venientem extendit in annum Rusticus.* Hæc Nonius.

ET PAT. EPIR. REF. FORT. MYCEN.) Laudatur & ab equis Epirus. In Epiro, inquit Seruius, sunt equæ optimæ, quibus exercetur curule certamen Iouis Olympici.  
Per

Per Mycenæ Peloponnesum intellige: equos enim Peloponnesiacos etiam commédari significat. Et id ipsum arbitror insinuat ab Horatio Ode 7. lib. 1.

*Plurimus in Iunonis honorem*

- His animaduersis, instant sub tempus, & omnes  
 Impendunt curas denso distendere pingui,  
 125 Quem legere ducem, & pecori dixere maritum:  
 Florentesq; secant herbas, fluuiosq; ministrant.  
 Farraq; ne blando nequeant superesse labori,  
 Inualidiq; patrum referant ieiunia nati.  
 Ipsa autem macie tenuant armenta volentes:  
 130 Atq; vbi concubitus primos iam nota voluptas  
 Sollicitat, frondesq; negant, & fontibus arcent:  
 Sæpe etiam cursu quatiunt, & sole fatigant,  
 Cùm grauitur tunsis gemit area frugibus, & cùm  
 Surgentem ad Zephyrum paleæ iactantur inanes.  
 135 Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior vsus  
 Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes:  
 Sed rapiat citius Venerem, interiusq; recondat.  
 Rursus cura patrum cadere, & succedere matrum  
 Incipit, exactis grauidæ cùm mensibus errant.  
 140 Non illas grauib; quisquam iuga ducere plaustris,  
 Non saltu superare viam sit passus, & acri  
 Carpere prata fuga, fluuiosq; innare rapaces.  
 Saltibus in vacuis pascant, & plena secundùm  
 Flumina: muscus vbi, & viridissima gramine ripa,  
 145 Speluncæq; tegant, & saxea procubet vmbra.

DENSO DISTENDERE PINGVI) Adhuc parentum delectus in bubulo, & equino pecore fuit: proximum præceptum est, vt patres saginentur, matres macerentur tempore admissionis. Saginationis & efficiens causa, & finis mox proponitur. Varro lib. 2. cap. 5. Ante admissionem mensum vnum, ne vacca cibo, aut portione se impleant, quod existimantur facilius macra concipere. Idem Columella lib. 6. cap. 26. Sed & pabulum circa tempus admissionis subtrahitur fœminis, ne eas steriles reddat nimia corporis obefitas.

NE BLANDO NEQ; SVPERES. LABORI) Blandum laborem περιεργασίας appellat initium, siue, vt iam dictum est, admissionem. Et admittere equum, taurum dicimus ad equam, vaccam implendam scilicet. Admissarius equus est ἀναβάτης, nam & ἀναβαίνεν dicunt, vt Latini superuenire, salire. Vide Budæum in Pand. annotat. poster. pag. 293. Superesse hoc loco putat Gellius lib. 1. cap. 22. supra laborem esse, neq; opprimi à labore, quod & supra monuimus, iisdem verbis (*modò vita superfit*) Quod autem in eodem capite negat à veteribus dictum superesse, pro restare, & perficiendæ rei adesse, sciendum est & Tacitum, & Plinium in epistolis, quod Muretus animaduertit, sapius ita vt: cum quibus nos errare malumus, quàm cum Gellio sapere.

IPSA AVT. MAC. TEN.) Varro lib. 2. Arietibus ac tauris datur plus cibi, vt vires habeant. Et paulò post. Contrà, tauros duobus mensibus ante admissionem herba, & palea, ac fœno facio pleniore, & à fœminis secerno.

VOLENTES) id est, de industria: est enim volens,

*Aptum dicit equis Argos, dicesq; Mycenæ.*

NEPTVNI ORIGINE) Vt sit procreatus de nereidibus equi, quem Neptunus terra tridente percussa produxit.

Abeneuolus, vt in deorum precationibus Car. Mars pater, te precor quæsoque, vt si es volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ. Liuius. Pacem precibus exposcunt, vt volens propitius suam semper sospitet progeniem. Turneb. lib. 5. cap. 4. \* Catonis, & Liuij verba, quæ à Turnebo produciuntur, docent manifestè, Vocem volentes exponendam esse non de industria, sed libentes. Virgilij tamen sensus non omnino hanc interpretationem admittit, sed priorem potius. Nempe verborum libentiores sunt poeta, quod iam centies dixi. Cicero in Tuscul. 3. de Attio. poeta tenuit ius suum, & dixit audacius. Hoc te audire puta locis similibus.

SÆPE ET. CVRSV) Itaque meridianis temporibus, sole calidissimo, eas cursu fatigare, & multo æstu attenuare consueuerunt. Nam macra facilius concipere, & genitale semen ardentius rapere, atq; in vtero melius conseruare existimantur, vt sequitur.

NE LVXV OBTVS. VS. SIT GEN. ARVO) Hippocrat. Aphorism. ὀκρόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐῦσαι μὴ ἐν λαιμάνωσιν ἐν γαστρὶ ταύτησι, τὸ δὴ πλοῦν τὸ σῶμα τῶν ὑστεραίων ἐπιπέσει. καὶ πέν η̄ λεπώδηται ἐκύσσει. Notat Vrsin. Rei inhonestæ quadam honesta verborum ambage, & circuitione descriptio à multis laudata, aliunde, vt pleraq; Maronis, mutuo sumpta est. Eadem igitur figura vsus erat Euripides in Phœnissis. μὴ σπεῖρε παίδων ἄλοχα δαμόνων βίη. Id est, ne seras sulcum liberorum inuitis diis. Id Virgilius vberius aliquantò fecit, qui non tantum sulcum appellauit, verum etiam honestè vercundeq; aruum genitale nominauit. Turneb. lib. 19. cap. 18. Adde, Lucret. lib. 4. eadem metaphora, muliebria conserit arua.

Disca

Discamus à Virgilio verecundiam, & cum in ho-  
minibus, tum etiam in brutis animantibus instrumenta  
illa ad generandum à Deo corporibus addita, quibus pe-  
riphrafibus, ac metaphoris, cum vsus postulauerit, ex-  
primere eleganter honesteque liceat, in bonis scriptori-  
bus obseruemus. Clemens Alexandr. in Pædag. ideo pu-  
dendum nominatum ait, quòd ea corporis parte magis,  
quàm alia qualibet cum pudore vtendum sit. Si vtend-  
um cum pudore, nunquid non etiam cum pudore, an  
potius Cynica cum impudentia nominanda suo voca-  
bulo, & proprio? non puto, si modo vel Ciceronem au-  
diamus hæc dicentem Off. lib. 1. vbi nimirum de Tem-  
perantia disputatur. *Hanc natura tam diligentem fabri-  
cam imitata est hominum verecundia. Que enim natura  
occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab  
oculis: ipsiq; necessitati dant operam, vt quam occultissimè  
pareant: quarumq; partium corporis vsus sunt necessarij,  
eas neq; partes, neq; earum vsus suis nominibus appellant:  
quodq; facere turpe non est, modo occultè, id dicere obscæ-  
num est. Itaq; nec aperta actio rerum illarum, petulantia  
vacat, nec oratio obscœnitate. Nec verò audiendi sunt Cy-  
nici, aut si qui fuerunt Stoici pane Cynici, qui reprehendunt,  
& irrident, quod ea qua turpia re non sunt, verbis flagitiosa  
dicamus: illa autem qua turpia sunt, nominibus appellemus  
suis. Latrocinari, fraudare, adulterari re turpe est: sed  
dicitur non obscœnè: liberis dare operam, re honestum est,  
nomine obscœnum: pluraq; in eam sententiam ab iisdem  
contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam  
sequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum,  
auriumq; approbatione, fugiamus.* Hæc ille. Genitalium  
membrorum partes, quas ex oribus verecundis infame  
est suis appellationibus promere, inquit politus scrip-  
tor Arnob. libr. 3. Rursum libro 4. vide quàm castè.  
Partes illæ, quas pudor abscondere, quas naturalis ve-  
recundiæ lex iubet, quas inter aures castas nefas est, ac  
sine honoribus appellare præfatis. Adhuc, Pars illa  
corporis, per quam sexus fœmineus & sobolem pro-  
dere, & nomen solet acquirere generi. Iam quod de  
vobis ex duobus præclaris scriptoribus docui, id ip-  
sum de actione, & corporalibus illis conciliis, quemad-  
modum Arnobius vocare solitus est, siue hominum, si-  
ue animalium, accipiendum censeo. Violauit virgi-  
nem, ait Varro lib. 5. de ling. lat. pro vitiauit dicebant.  
Æquè eadem modestia potius cum muliere fuisse, quàm  
concupuisse dicebant.

SED RAPIAT SITIENS VENEREM) Loquen-

Est lucos Silari circa, ilicibusq; virentem  
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen a silo  
Romanum est: æstron Graij vertere vocantes:  
Asper, acerba sonans, quo tota exterrita syluis  
150 Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther  
Concussus, syluæq; & sicci ripa Tanagri.  
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras  
Inachia Iuno pestem meditata iuuenca.  
Hunc quoq; (nam mediis feruoribus acrior instat)  
155 Arcebis grauido pecori, armenta q; pascet  
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.

EST LUCOS SILARI) Silarus Lucaniae fluiuis, Alburnus eiusdem mons est.

CVI NOM. ASILO) Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Itaq; quod eas æstate tabani concitare solent, & bestiolæ que-

Adi ratio hæc, Venerem rapere, & Horatio vsitata est.

— sed ignotis perierunt mortibus illi,  
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum  
Viribus editior cadebat, vt in grege taurus.

[Veruntamen Horatius non de fœmine, sed de viris loquitur, & li-  
quet: qui alio modo Venerem rapere intelligendi sunt. Et explanas  
semetipse quodammodo more ferarum, quod nos ex sacratissimis li-  
bris dicemus, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.]

Et Lucretio,

Et commiscendo cum semen fortè virile  
Fœmina commulxit subita vi, corripuitq;

Aristoph. ἐκκλησι. δὲ λὰς ἔχει δὲ κοσμημένους τὴν τῶν ἐλευθέ-  
ρων ὑφάρπαξεν κῆπειν. Quod Aristotel. lib. 2. de gener. ani-  
mal. de asina. ἢ δὲ ὄνθ' ἢ δέχεται τὴν ὄχειαν, ἀλλ' ἐξερεῖ τὸν γό-  
νον, δὲ μασίγ' ἔσιν ἀκολουθεῖντες. German.

RVRVS CVRA PATRV M CADERE ET SVC-  
CED. MATRV M) prægnantibus maior est adhibenda  
cura, largoque pascuo firmandæ: nec aliquot mensi-  
bus a conceptu exercendæ, nec in angusto, clauso-  
que continendæ: neque frigori, aut fluminibus tra-  
nandis committendæ. Nam hæc omnia incommo-  
da fœtum abigunt. In locis autem viridibus, & a-  
quosis, syluisque pascuis, ac iuxta fluuios pascant, &  
circa meridiem vmbra captent, ne calore solis lan-  
guescant: frigidus locos vbique caueant, quoniam algor  
maximè prægnantibus obest.

FLVVIOS RAPACES) Egregium epitheton flu-  
uiorum rapaces, vt pote qui omnia secum rapiunt, fe-  
runtque. Didicit à Lucretio. Ille lib. 1. Deniq; per ma-  
ria ac montes fluuiosq; rapaces. Lib. 5. Aut ex imbris assi-  
duis exisse rapaces Per terras amnes.

SALT. IN VAC. PAS.) Saltus isto loco Nonius campi  
spatium interpretatur. Alioqui saltus Isidoro lib. 16. ca.  
8. sunt loca vasta, & syluestria, vbi arbores exiliunt in al-  
tum. Quod ibi arbores in sublimè consurgant, vt rursus  
ait lib. 17. ca. 6. Varro de lin. lat. Quos agros non colebāt  
propter syluas, aut id gen<sup>o</sup>, vbi pecus potest pasci, & pos-  
sdebant, ab vsu suo saltus nominarunt. Quidam censent  
ex eo dictum saltū, quòd in eo fera ac pecudes saliat. Di-  
citur etiam de locis montosis, modò iidem syluosi ac ne-  
morosi sint, vt saltus Pyrenæus, saltus Graius, &c.

SECVDVM FLVM.) Secundum non solum numeri  
& ordinis, vel prosperum, sed etiam iuxta. Varro. de vita  
pop. Rom. Ad portam Mugionis secundum viam, sub si-  
nistra Nonius.

SAX. VMB.) Vmbra quam saxa, id est, antra, & specus  
faciunt: præcedit enim, speluncaq; regant.

dam minuta sub cauda, ne concitentur, aliqui solent in-  
cludere septis.

CVI NOM. ROM. EST) Quemadmodum Plautus his  
loquendi modis, Demophilus scripsit, Plautus, vertit  
barbare.

472

barbarè. Nam os columnatum inesse audini poeta barba-  
ro. Heus tu, in barbaria quod dixisse dicitur liberta sua pa-  
trona, in barbaria, id est, in Italia, quemadmodum his, in-  
quam, modis videtur linguam latinam contemnere, ita  
contrà Virgilius summis eam laudibus afficere conatus  
est, cum ita dixit, cui nomen Afilo Romanum est &c. quasi  
posteriores Romanis Græcos fuisse insinuet. Canterus  
lib. 4. cap. 18.

GRAII OESTRVM VERTERE) Nigidius de ani-  
malibus. Afilus est musca varia tabanus, bubus maximè  
nocens. Hic apud Græcos prius myops vocabatur, po-  
stea magnitudine incommodi œstrum appellarunt. Et  
hoc est quod ait, œstrum vertere vocantes. Non de latino  
in græcum, sed de græco in suam linguam, quæ prior fuit.  
Philargyr.

Hunc quem Græci œstrum vocant, ait Seneca, ep. 58.  
pecora peragentem, & totis saltibus dissipantem, asi-  
lum nostri vocabant. Hoc Virgilio licet credas. Videtur  
Seneca dicere, istuc verbum latinum sua ætate nullum  
fuisse. Oestrum quidam cum tabano confundunt, quem  
Græci μύωπα vocant, in quibus Plin. lib. 11. cap. 28. & Ap-  
pollon. lib. 1. vbi cū de œstro ageret, dicit: ὄν τε μύωπα βοῶν  
κλείσι νομίης, quem tabanum vocant bubuci. Obtinuit,  
vt μεταφορικῶς furiosi dicantur œstro perciti. Vide plura  
apud Delrium in Chorum Oedipi act. 2. Senecæ.

INACH. IVNO PEST. M. IUVEN.) Io Inachi am-  
nis filiam, raptò prius eius pudore in vaccam mutavit Iu-  
piter, ne in eam Iuno vt pellicem sæuiret. Illa nihilomi-  
nus rata id quod erat, in miserum animal œstro immisso  
sæuit iuxta Virgil. Plura de Io ad 7. Æneid. ibi. Atq; le-  
uem clypeum sublatis cornibus Io. Æschylus Prometheo.

Κλέεις ἀεὶ σφιδεγμα τὰς βόκκω παρθένη:  
Πῶς δ' ἔκλυ' οἰσθηδὴν τὴν κέρη  
Τὴν Ἰναχίην.

Leguntur etiam apud Attium tragœdia Iô hi versus.

Custodem assiduum Iuno instituit virgini. Et  
Ex taurigeno semine ortam fuisse, an humano eam.

Fabulam pete ex 1. Metam. Versus huc facientes ponam.

Protinus exarsit (Iuno) nec tempora distulit ira,  
Horrificamq; oculis, animoq; obiecit Erinnyñ,

Post partum, cura in vitulos traducitur omnis:  
Continuoq; notas, & nomina gentis inurunt:  
Et quos aut pecori malint submittere habendo,  
160 Aut aris seruare sacris, aut scindere terram,  
Et campum horrentem fractis inuertere glebis.  
Cætera pascuntur virides armenta per herbas.  
Tu quos ad studium, atq; vsum formabis agrestem,  
Iam vitulos hortare, VIAMQVE INSISTE DOMANDI,  
165 DVM FACILES ANIMI IUVENVM, DVM MOBILIS ÆTAS.  
Ac primùm laxos tenui de vimine circlos  
Cervi subnecte: dehinc, vbi libera colla  
Seruitio assuerint, ipsis è torquibus aptos  
Iunge pares, & coge gradum conferre iuuenos.  
170 Atq; illis iam sæpe rotæ ducantur inanes  
Per terram, & summo vesigia pulvere signent.  
Pòst valido nitens sub pondere faginus axis  
Instrepat. & iunctos temo trahat æreus orbes.  
Interea pubi indomitæ non gramina tantùm,  
175 Nec vefcas salicum frondes, vluamq; palustrem,

Pellicis Argolica, stimulusq; in pectore cacos

Condidit, & profugam per totum terruit orbem.

Iam quia se obtulit occasio, hoc loco lectorem minus e-  
ruditum docebimus ex Lactantio lib. 1. cap. 11. quid sibi  
velit, quod poetæ quosdam aut montium, aut fluminum  
filios esse dicant, quod absurdè dici videtur, & εὐνάτος  
planè. Sic itaq; Lactant. Potuit & sic argumentari (Mi-  
nutius Felix in Octauio) Saturnum, cum potentissimus  
rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam,  
nomina eorum cælo, terræq; indidisse: cum sapius aliis  
vocalibus appellarentur. Quæ ratione & mōtib; & flu-  
minibus nomina scimus imposita. Neq; enim cum dicunt  
poetæ de progenie Atlantis, aut Inachi fluminis, id po-  
tissimū dicunt, homines ex reb; sensu carentibus potu-  
isse generari: sed eos vtiq; significant, qui nati sunt ex iis  
hominibus, qui vel viui, vel mortui nomina montibus,  
aut fluminibus indiderunt. Nam id apud veteres, maxi-  
mèq; Græcos vstitutū fuisse. Sic maria eorum nomina tra-  
xisse accepimus, qui in ea deciderunt, Ægaurn, Icarium,  
Helleponticum: & in Latio Auentinus vocabulū mon-  
ti dedit, in quo sepultus est. Apparet ergo non ex cælo  
naturum esse Saturnum, quod fieri non potest, sed ex ho-  
mine, cui nomen Vrano fuit.

MED. FER. ACRIOR INSTAT) Circa meridiem ta-  
bani acrius armenta pungunt, eaque vehementius exti-  
mulant: ideoq; aut mane tantum, aut vesperi sub occa-  
sum solis pascenda sunt.

NOCT. DVC. ASTRIS) Pari figura 2. Æneid. Iamq;  
iugis summa surgebat lucifer Ida, Ducebatq; diem. Et pu-  
tari hic latere hypallagen, amicam adeo figurā poetæ  
nostro, pro nocte astra ducente, seu, dum nox astra ducit.  
Fingitur enim Nox quoq; suo curru, & fuscis equis per  
cælum vectari, & eadem mater siderū vocari solet, quòd  
ea velut parere videatur: non enim nisi nocturnis tem-  
poribus aspiciuntur, & prodeunt. Quare festiuissimè Ti-  
bull. lib. 2.

Ludite, iam Nox iungit equos, currumq; sequuntur  
Matris lasciuo sidera fulua choro,

Matris enim sine cōtrouersia scriptura sincerior, vt Mu-  
retus restituit lib. variar. 5. cap. 2. non Martis: quid enim  
hic Mars faciat? ☽

Sed

Sed frumenta manu carpes fata: nec tibi foeta,  
More patrum, niuca implebunt mulctralia vacca,  
Sed tota in dulces confument ybera natos.

NOTAS, ET NOM. GENT. INVRVNT) Cum natus est pullus, aut vitulus, confestim cum notis inuflis signare, & interstinguere bubulcum oportet: vt quos iuencos aut admiffuræ, aut sacrificiis, aut aratris, atq; plaustris confuefacere velit, in promptu habeat. Aufonius in Urbibus de Alexandria, & Antiochia.

Magnus Alexander te condidit, illa Seleucum  
Nuncupat, ingenuum cuius fuit anchora signum,  
Qualis iniusta solet generis nota certa per ortum.  
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Vbi, vt hoc, quia vtile scitu, addamus, ingenuum signum vocat Aufonius ἀντοφύς, vel potius, vt ex Aristotelis poetis interpretamur, σπυμείον σπυμύρον. Id enim valet ingenuum: vt alibi, *Usq; sub ingenuis agitata fontibus vnda.* B Ingenuos fontes vocat τὸς μὴ χεῖρ ποιήτους. Nam ingenium est natura ipsa. Næuius in Lycurgo,

— ite actutum frondiferos lucos, vbi

Ingenio arbusta nata sunt, non obfita.

Id est, vbi sunt ingenua arbusta, non manu, aut arte fata. Scalig. F. Aufonian. le. lib. i. cap. 23. Idem Coniectan. ad Varron. de ling. lat. Instrumentum quo perurunt, dicitur *character* rei rusticæ auctoris, verbum autem *signare*. Nonius. Signare oportet frontem calida forcipe. Veteres vocabant *dignorare*. Festus, Dignorant, signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus. Sic & equi quadam nota insigniebantur. Anacreon.

Ἐν ἰσχυροῖς μὲν ἵπποι Equi solent iniustum  
Πυρρὸς χέρας ἔχεισι. Coxis habere signum.

Vide Georg. i. Aut pecori signum, aut numeros impressit a-cervis.

IAM VITVLOS HORTARE) Isidor. lib. 12. cap. 1. vitulus & vitula à viriditate vocati sunt, id est, ætate viridi, sicut virgo. Vitula autem parua est, & nondum enixa. Nam enixa, iuuenca est, aut vacca:

QVOS AD STVDIVM ATQ. VSVM FOR. AGR.) De domitura bouum Columell. toto ca. 2. li. 6. quem lege.

DVM FAC. ANIMI) Sic paulò antè, *Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.* Et superiore libro, *adeò à teneris consuescere multum est.* Potestne præceptum istuc ad liberorum nostrorum adolescentiam, pueritiamque transferri? maximè, immò. Idem en quam diserrè Ecclesiasticus, & quàm sapienter iubeat, cap. 30. *Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non arrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescant, dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est: ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anime.*

DE VIMINE CIRCLOS) Circus, ait Nonius, est ambitus vel gyrus, cuius diminutiuum circulus. Attius Andromeda, *Quot Luna circulos annuos instruit.*

IPSI E TORQVIBVS APT. IVNGE PA.) Cum retinaculis assueuerint, vinculaque admiserint, tum extra stabulum perducito, & duos pares coniungito, ipsosque per mille passus cõpositè, ac sine pauore ambulare doceto. Interdum ex domitis bobus valentissimum, eundemq; placidissimum cum indomito coniungimus: vt veteranus tyronem, & procurrentem retrahat, & constantem perducatur. Imitando enim facilius domatur.

Viderit poeta velle, iugum bobus illigandum non cornibus, sed ceruicibus, qua de re ita differit Columella

A lib. 2. cap. 2. Igitur in opere boues arctè iunctos habere conuenit, qui spatiosius ingrediantur sublimes, & elatis capitibus, ac minus colla eorum labefactentur, iugumque melius aptum ceruicibus insidat. Hoc enim genus iuncturæ maximè probatum est. Nam illud, quod in quibusdam prouincijs vsurpatur, vt cornibus illigetur iugum, ferè repudiatum est ab omnibus, qui præcepta rusticis conscripserunt, neq; immeritò, plus enim queunt pecudes collo & pectore conari, quàm cornibus. Atque hoc modo tota mole corporis, totoque pondere nituntur: at illo, retractis & resupinis capitibus excruciantur, ægreque terræ summam partem leui admodum vomere sauciant. Ac veteres quidem à iungendo iumenta appellabant: quod curui iungerentur, ea erant equi, & muli: boues, armenta potius dicebantur, ab arando, vt Varro inquit, quòd is præcipuus eorum vsus. Sed Columella lib. 6. iumenta appellari credidit, quæ nostrum laborem, vel onera subuectandò, vel arando iuuarent. Sed aliter Iureconsulti. Nam lege XII. tabul. à iungendo, non à iuuando iumenta dicuntur, teste Gell.

APTOS) Aptum, connexum, colligatum significat. Cic. Tusc. 5. Fulgentem gladium è lacunari seta equina aptum demitti iussit. Vide Nonium.

SÆPE ROTÆ DVCANT. INANES) Varro, Et primum in equo loco, & sine aratro, tum eo leui, & principio per arenam, aut molliorem terram. Quos ad vecturam item instituendum, vt inania primum ducant plaustra, & si possis, per vicum, aut oppidum, creber strepitus, ac varietas rerum consuetudine celerrima ad vtilitatem adducit.

INTEREA PVBI INDOM.) Hæc cum ita curauerimus, tum & omne genus pabuli præparabimus, dabimusque operam, ne penuria cibi macrescat pecus. Quare vitulis, & pullis indomitis non modò teneram herbam, frondes, & vluam subministrabimus, sed etiam manibus decerpta frumeta furfures triticeos, & farinam hordeaceam obiciemus. In primis autem curabimus, ne vacca mulgeantur, & vitulis lac detrahatur. Lacte enim materno omniù optimè nutriuntur. Varro lib. 2. cap. 5. & 7.

VESCAS SALIC. FROND.) Vescum ex ve, particula, & esca copulatum est, auctor Gell. lib. 15. Et cum ve, particula tum intèriorem significet, tum minutionem, ita vescum vtriusque diuersæ significationis vim capit. Aliter enim Lucret. vescum sale m dixit, ex edendi intentione: aliter Lucillius vescum appellat cū edendi fastidio. Vescum itaque id significat, quod in esca, & cibatu appetitur, & id, quod fastidiosum est. In altero hæc particula intendit, in altero minuit. Et ita Virgil. appellat vescum papauer, ab edendi intentione, quod videlicet in cibis adhibeatur: & vescas salicum frondes, quoniam scilicet escis iumentorum sunt accommodata. Festus quoque scripsit vescum, fastidiosum significare, & edacem. Vescus apud priscos pusillum sonabat, & vesculi malè curati, & graciles homines nuncupabantur. Exponamus igitur vescas frondes, vel quod esca sunt, & cibaria iuencorū, vel (vt exponit Nonius) quod fastidiosa sunt. Hæc Beroald. Annotat. in Seruium.

NEC TIBI FOETÆ IMPL. MVLT. VACCÆ) De ouibus idem præcipit apud Calpurn. Alycon pater Cantho filio.

Parce tamen foetis, neu sint compendia tanti,  
Destruat ut ninos venalis caseus agnos.

180 Sin ad bella magis studium, turmasq; feroces,  
 Aut Alphearotis praelabi flumina Pisæ,  
 Et Iouis in luco currus agitare volantes:  
 Primus equi labor est, animos, atq; arma videre  
 Bellantum, lituosq; pati, tractuq; gementem  
 Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes.  
 185 Tum magis, atq; magis blandis gaudere magistri  
 Laudibus, & plausæ sonitum ceruicis amare.  
 Atq; hæc iam primò depulsus ab vbere matris  
 Audiat: inq; vicem det mollibus ora capistris  
 Inualidus, etiamq; tremens, etiam inscius æui.  
 190 At tribus exactis, vbi quarta accesserit ætas,  
 Carpere mox gyrum incipiat, gradibusq; sonare  
 Compositis, sinuetq; alterna volumina crurum,  
 Sitq; laboranti similis: tum cursibus auras  
 Prouocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis,  
 195 Æquora, vix summa vestigia ponat arena.  
 Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris  
 Incubuit, Scythiæq; hyemes, atq; arida differt  
 Nubila, tum segetes altæ, campiq; natantes  
 Lenibus horrescunt flabris: summæq; sonorem  
 200 Dant syluæ: longiq; vrgent ad littora fluctus.  
 Ille volat, simul arua fuga, simul æquora verrens.  
 Hic vel ad Elæi metas, & maxima campi  
 Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas:  
 Belgica vel molli melius feret effeda collo.  
 205 Tum demum crassa magnum farragine corpus  
 Crescere iam domitis finito. namq; ante domandum  
 Ingentes tollent animos: prensiq; negabunt  
 Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

SIN AD BELLA MAGIS) Dixi breuiter de ijs, quæ A loco erat sacer Ioui, cui etiam ipsi ludi, eandem cum pri-  
 in domitura & cura iuuenorum agrestium obseruari  
 conuenit. Nunc ad pullos equorum transeo, quos labo-  
 ribus bellicis, ludisque Circensibus, aut sacris certami-  
 nibus præparare cupimus. In his igitur perdomandis i-  
 sta tenebitur ratio. Primò omnium in stabulis fræna, &  
 arma militaria videre, & è motu crepitus, itemque tu-  
 barum sonitus, & stridores curruum audire consue-  
 scant.

De hac domitura Varro lib. 2. cap. 7. Neque prius  
 biennio confecto à lacte remouendum: eosque cum  
 stent cum matribus, interdum tractandum: ne cum sint  
 deuincti, exerceantur. Eademque causâ ibi frænos sus-  
 pendendum, vt equuli consuecant & videre eorum  
 faciem, & è motu audire crepitus. Cum iam ad manus  
 accedere consueuerint, interdum imponere iis pue-  
 rum, bis aut ter, pronum in ventrem, postea iam seden-  
 tem. Scholiast. Aristoph. in Nubibus. ὅτι, τινὰ τῶν ὀρνέων  
 δοκίμαζονται τῶν τῶν κἀδδων ἢ ἴψῳ, καὶ τὸς ἴππους ἕτω ἐδοκίμα-  
 ζον εἰ ἰσοφώδεις εἶεν, ἢ εἰ ἰσορροῦν ὑπομένειν δύνανται.

ALPHEA FLVM. PISÆ) Elidis amnem vocat Al-  
 pheum eclog. 10. quoniam alluit urbem Elim, Pisæ & O-  
 lympiæ vicinam, vbi ludi exercentur Olympici. Quod  
 sequitur de agitatione curruum in luco Iouis, qui eodè

ore versu sententiam continet.

LITVOS Q. PATI) Romani non solum tubis, verum-  
 etiâ lituis acuerunt militum animos solebant. Ex quo apud  
 Tullium, tuba belli ciuilib, & lituus profectiois ad Pom-  
 peiũ, pro impulsore posita sunt. Sic enim ad Ampii li. 6.  
 Qui tulissent acerbius, veniam sibi dari, quem illi appel-  
 lant tubam belli ciuilib. Idem lib. 2. ad Att. Posteaque,  
 quàm mihi litteræ à Balbo Cornelio minore missæ es-  
 sent, illum existimare, Q. fratrem lituum meæ profecti-  
 onis fuisse (ita enim scripsit) &c. Eodem spectat illud Æ-  
 neid. 6. de Miseno, Et lituo pugnas insignis obibat, & hasta.  
 Horat. Ode 1. libr. 1. tubæ sonitum cum lituo permiscet.  
 Multos castra iuuant, & lituo tubæ permiscet sonitus. Et  
 Ode 1. libr. 2. lituorum strepitum cum murmure cornu-  
 um coniungit, in describenda pugna imagine.

*jam nunc minaci murmure cornuum  
 Perstringit auras: iam litui strepunt.*

PLAUSÆ SONITVM CER. AM.) Deinde etiam  
 dominum suum blandientem, & accedentem ferre dis-  
 cant, & se tractari sinant, manuumq; plausu, atq; attacku  
 delectentur. Æneid. 12.

*Circumstant properi aurigæ, manibusq; laceffunt  
 Pectora plausa canis, & colla comantia peffunt.*

Sonum

478  
 Sonum autem illi  
 nem in equis, vo  
 ge que in hunc  
 Vtino delinunt  
 DE VES  
 non Plausu  
 plausu dicitur  
 MOLLIB  
 lacrimat.  
 INSCIVS  
 cum.  
 QUART  
 nis. Nam ætat  
 pro anno, pro  
 re. Scruus.  
 VIX SYM  
 detur ad Ladam  
 veltigij vix arena  
 Canulus, & Mar  
 Habes licet  
 Ineptæ frust  
 German.  
 QUALIS H  
 erigendum, &  
 natura, protu  
 æres i pte cap  
 ablegare dicit  
 Nōro  
 Er  
 Peller  
 L  
 Confimile e  
 ra d' exro d' i  
 quam longill  
 vti terrarum  
 Noue dixit Æ  
 tem, aut secun  
 Capis uel, et a p  
 rea maiora lo  
 es, velut inf  
 Ianius Cest  
 Cont  
 tionem dicit  
 nem Hypo  
 orni Maro  
 tamen, cur  
 quam retul  
 cap. 4.  
 AQUIL  
 conitet densa  
 resoluere. Vid  
 DIFF  
 Ode 10. Epod.  
 tamembra dicit  
 (sentus) Genu  
 velle ferre famul  
 SIMVL A  
 210

Sonum autem illum ex collisione manuum, & palpationem in equis, vocant Græci *ποππυσμόν*, & *ποππύζειν*. Lege quæ in hunc locum ex Xenophonte de re equestri ab Ursino desumuntur.

DEPVLSVS AB VBERE) Eclog. 1. *quo sepe solentur Pastores ouium teneros depellere fetus*. Eclog. 7. *Depulsos a lacte domi qua clauderet agnos*.

MOLLIBVS CAPISTRIS) Netenera adhuc ora lædantur.

INSCIVS ÆVI) nondum habens ab annis fiduciam.

QVARTA ÆTAS ACCESS.) Id est quartus annus. Nam ætatem plerumque generaliter dicimus & pro anno, pro triginta, pro centum, pro quouis tempore. Seruius.

VIX SVMMA VESTIG. P. ARENA) Alludere videtur ad Ladam Alexandri cursorem, qui pendentibus vestigijs vix arenam signabat, cuius Solinus meminit, & Catullus, & Martial. lib. 10.

*Habeas licebit alterum pedem Ladae, Inepte frustra ligneo curres pede.*

German.

QVALIS HYPERB. A QVILO) Quod longissimè exigendum, & vltius quàm concesserit hominibus natura, proturbandum ostendere volumus, id græcè *ἄχρως ὑπερβορέων διαπέμπειν*, id est, vsq; ad Hyperboreos ablegare dicimus. Extat in epigram.

*Νῦσον τὴν εὐχερῆν ἀνδρῶν ἐκ βασιλῆος Ἐσθλοτάτου πέμψαι ἄχρως ὑπερβορέων.*

*Pellere luce vna regali a corpore morbum Luctificum, ut supra cedat Hyperboreos.*

Consimile est quod Nazianzenus ad Nemesium dixit, *τὰ δ' ἕκτοδι ῥίψα γαδείρων*. Ultra Gades ea abieci, hoc est, quàm longissimè. De Hyperboreis populis qui sint, & vbi terrarum positi, varia apud auctores contentio est, Nouè dixit Æschylus, *τύχην ὑπερβορέων*, fortunam ingentem, aut secundam, in Agamem. *μεγάλῃς ὁ τύχῃς, καὶ ὑπερβορέου μείζονα φωνεῖς*. Id est, insignis fortunæ, & Hyperborea maiora loqueris. Comment. exponunt, *τὴν ἄγαν πνεύσαν*, velut insigniter, & magis quàm Boreas afflantem. Iunius Cent. 1. num. 99.

Contra Græcorum opinionem, & vocabuli notionem dictum esse apparet. Cùm enim trans Aquilonem Hyperborei incolant, si modò vlli sunt, inde eum oriri Maro facit: nisi si quis dicat, è finibus eorum, citra tamen, eum oriri. Sed videtur Maro parum curare eam, quam retulimus Græcorum opinionem. Turneb. lib. 5. cap. 4.

AQVILO DENSVS) Densus aquilo, vt quem constet densare, & constringere, vt Austrum laxare, & resolueret. Vide Aristot. Meteor. German.

DIFFERT NVBILA) id est, dissipat, disiecit. Horat. Ode 10. Epod. *Tractosq; remos differat*. Ibid. *Post insepulta membra differet lupi*. Lucret. lib. 1. *Ingentesq; ruit naues (ventus) & nubila differt*. Et lib. 2. *Scintillasq; agere, & late differre fanillam*.

SIMVL ARVA FVGA) Quomodo Græci poetæ

210 Sed non vlla magis vires industria firmat,  
Quàm Venerem, & cæci stimulos auertere amoris:  
Siue boum, siue est cui gratior vsus equorum.  
Atque ideo tauros procul, atque in sola relegant  
Pascua, post montem oppositum, & trans flumina lata:  
Aut intus clausos satura ad præsepia seruant.

Hh 3

Carpit

A *φύγην* fugere sæpius pro eo vsurpant, quod est *συντόνος τρέχην*, ita & Latini, & in eundem sensum Maro hic fugam dixit.

ÆQVORA VERRENS) Lucret. lib. 5. *Nequicquã quoniam verrentes aquora venti Diminuunt*.

HIC VEL AD ELÆI METAS) Idem hic equus tam cursorium laudatissimè ager: & vtroque suum officium commodissimè administrabit. Nam vel in certaminibus cur suum, & ludis equestribus maxima conficiet spatia: neque vllò sudore, neque vllis spumis, etiam cruentis ex ore promanantibus vsquam defatigabitur: vel etiam Belgicum essedum, aut quodcunq; oneratum plaustrum indefessa ceruice vectabit.

FER. ESSEDA COL.) Essedum est vehiculum Gallicū, genus quoddam rhedæ. Cic. ad Trebat. Essedū aliquod suadeo capias, & ad nos quamprimum accurras. Philip. 2. Vehabatur in essedo Tribunus pl. Hinc essedarius ipse atriga, epist. 6. lib. 2. sicut rhedarius in Miloniana. Cic. epist. 6. lib. 7. Tu qui ceteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedarijs capiaris, caueto. De varijs vehiculorum generibus Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 30. 55.

TVM DEMVM CRASSA) Posthæc vbi domitus hunc in modum equus fuerit, farraginem illi dabis. Hæc enim maximè necessaria, atque vtilissima est pecori equino. Nam & purgari hoc cibo, & eodem quàm optimè saginari, & crescere solet. Ante domituram largiori cibo equuli non erunt obfaturandi. Nam pabulis distenti ferocient, & si comprehendas, frænos & capistra excutient, neque domitori morem gerent: ac ne verberibus quidem, & flagris ad obsequium adigipoterunt.

DVRIS PARERE LVPATIS) Lupata sunt fræna, vel à lupo instrumento ferreo, vncō, & tortuoso, instar dentium lupinorum: vel quia lupinorum dentium in morem aspera, atque inæqualia, quibus equi ferociore coercentur. Vocantur etiam lupi, Ouid. *duros accipit ore lupos*. Vnde equi præferoces, & ad tractandum difficiles *λυκοσπάδες* à Græcis nominantur. Ex Lamb. in Horat.

Copiosius aliquanto Turneb. lib. 11. cap. 28. vnde sua Lambinus, vt solet, deduxit. Fræna lupata, quæ & lupata etiam, sine additamento dicuntur, fræna sunt lupos habentia, & dura asperioraque: vt currus falcati dicuntur, qui falces habent, secures dolabratae, quæ habent dolabram: falces verriculatae, quæ verriculum. Est autem lupo ferreum instrumentum vncum, simile dentium lupinorum. Lilius libr. 28. in alios lupi supernè ferrei iniecti, vt in periculo essent, ne suspensi in murum extraherentur. *λύκος* eodem modo dicitur græcè ferrum quoddam fræni, vnde lupatum: atque hinc *λυκοσπάδες* equi à nonnullis appellantur. Ouid. 4. Trist. eleg. 6. ex parte, totum frænum significauit, *duros accipit ore lupos*. Est & lupo ferrula manubriata apud Palladium: fræni autem lupati ad os equi quantumuis ferocis temperandum, domandumq; aptissimi sunt.

- 215 Carpit enim vires paulatim, VRITQVE VIDENDO  
FÆMINA, nec nemorū patitur meminisse, nec herbæ.  
Dulcibus illa quidem illecebris & sæpe superbos  
Cornibus inter se subigit decernere amantes.  
Pascitur in magna sylua formosa iuuenca:
- 220 Illi alternantes multa vi prælia miscent  
Vulneribus crebris: lauit ater corpora sanguis:  
Versaꝫ; in obnixos vrgentur cornua, vasto  
Cum gemitu: reboant syluæꝫ; & magnus olympus.  
Nec mos bellantes vnà stabulare: sed alter
- 225 Victus abit, longeq; ignotis exulat oris,  
Multà gemens ignominiam, plagasq; superbi  
Victoris, tum quos amisit inultus amores:  
Et stabula aspectans regnis excessit auitis.

CÆCIAMORIS) Absolutè cæcus est amor in ho-  
minibus & pecudibus, quare & oculis obligatis pingi-  
tur: & ei cæcitatem Theocritus, Menander, Archilo-  
chus, & nostris Virgilius non vno loco tribuunt: amori,  
inquam, cui assidua comes est nequitia. Affectum enim  
in turpitudinem cæcum esse, nemo non dixerit. Appetentia  
enim, quæ ab oculorum sensu est, intellectum concitat ad  
voluptatem: ea vero tali orta principio, quæ putat in  
conspectu esse bona, ea tantum concupiscit, addictaque  
sensui, à contemplatione auertitur, neque sui compos est,  
vt possit eligere. Impetu igitur raptatur, & in furorem fertur.  
Furor dubio procul intellectum obcæcat: quique ita affectus  
est, cæco carpitur igni, &c. Pierius lib. 4.8. in Laqueo. Quamobrem  
Cupido cæcus fingatur & pingatur, Delius Aduersar. in  
Hippolytum Senecæ pag. 97.

TAVROS PROCVLATQVE IN SECRETA) Quæ  
ratio ad boues siue tauros firmandos valet, vt procul  
absint à vacuis, quarum aspectu Venereis concitantur  
stimulis, nec viribus validis possunt augeri, eadem  
ad hominum mentes, eorum puta, qui in Venereis  
præconiis sunt, sanandas, perutilis reperitur: nimirum  
vt se longius remoueant, ne videre queant, quarum  
aspectu faucientur, & inde amoribus earum dies  
noctesq; sollicitentur. Huius vel præcepti magistram,  
vel consilij ducem habemus Propert. lib. 3. eleg. 20.  
versiculos memoria dignissimos accipe.

*Magnum iter ad doctus proficisci cogor Athenas,  
Vt me longa grauis soluat amore via.  
Crescit enim assidue spectando cura puella,  
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.*

Omnino quid tam in genere quoq; nostro, id est, humano  
verum est, quam feminam vrere, dum videtur? præferim si  
quam eximia pulchritudo tacitè commendauerit. Tales  
femina oculis dolores inurunt, de quibus Alexander  
Magnus. Cum enim (auctor Plutarchus) post Persas  
subactos intueretur captiuas, & forma & magnitudine  
corporis excellentes, inquit, *ὡς εἰς τὴν ἀλγυνοδόνος ὁ μὲν  
πῶν αἰσθησίδος*: Democritus, vt scriptum inueni apud Tertul.  
Apolog. cap. 45. excæcando semetipsum, quod mulieres  
sine concupiscentia aspicere non possent, & doleret, si non  
esset potitus, incontinentiam emendatione profiteretur.  
Retulit hoc ex Plutarcho, opinor, libello de Curiositate.  
At Christianus saluis oculis feminam videt, animo  
aduersus libidinem cæcus est. Iam de pudico sexu  
inter se aspectu perpende mihi, quod idem seuerissimus  
castimonie doctor asserit, lib. de Velandis virginibus.  
Inuicem se eadem oculorum genera desiderant. Eiusdem  
libidinis est videri, & videre. Tam sancti viri est  
suffundi si virginem viderit, quam sanctæ virginis,  
si à viro visa sit. Hactenus ille. Huc refer illud ex  
Ecl. 8. *Vt videri, Vt perij, Vt me malus abstulit error.*  
Plotinus *ἔγραψε δὲ τὴν ὁμοίωσιν*, ab aspectu, seu visu  
deductum putat: siquidem plerumque ab aspectu  
amor nascitur: quod item confirmat Græcorum  
paræmia, *ἢ τὸ ὄραον γινέσται τὸ ἐρᾶν*. Idipsum Propertius,  
*Si nescis, oculi sunt in amore duces.* Et multò  
explicatius lib. 1. eleg. 1. primis statim verbis.

*Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,*

*Contactum nullis ante Cupidinibus.*

*Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,*

*Et caput impositis pressit amor pedibus, &c. 55.*

CORNIBVS INTER SE SVBIG. DECER.) Vide quos ex Smyrnæo, & Oppiano adducit in eandem rem  
versiculos Virginius.

ILLI ALTERNANTES MVLTAVI) Locus hic, alijs  
tamen verbis, repetitur lib. 12. Æneid. de Turno &  
Ænea, taurorum instar ferocium de Lauinia virgine  
regia dimicantium.

*Ac velut ingenti Silla, summoque Taburno,*

*Cum duo conuersis inimica in prælia tauri*

*Frontibus incurrunt, pauidi cessere magistri:*

*Stat pecus omne metu mutum, mussantq; iuuenca,*

*Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur,*

*Illi inter sese multa in vulnera miscent,*

*Cornuaq; obnixi insigunt, & sanguine largo*

*Colla, armosq; lauant: gemitu nemus omne remugit.*

Comparisonem hanc, eiusque sententiam aliqua verborum  
immutatione à Luciano vsurpatam videas, lib. 2. hoc tenore.

*Pulsus ut armentis primo certamine taurus,*

*Sylvarum secreta petit, vacuosq; per agros*

*Exul in aduersis explorat cornua truncis.*

*Excussi placuere fori, mox reddita victor*

*Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris*

*Inuito pastore trahit.*

C German.

REBOANT SYLVÆQVE) Reboare est resonare,  
& tanquam per echo reddere. Lucret. lib. 2. *Nec  
citharis reboant laqueata, aurataq; templa.* Lib. 4. *Et reboant  
raucum retrocita barbarâ bombum.* Macrob. lib. 6.

ET STAB. ASPECTANS REG.) Affectum eundem  
animi (quod animaduertunt etiam veteres Grammatici)  
tribuit Virgilius tauro, qui victus in pugna pellitur  
suis sedibus, quem affectum Tullius in L. Catilina  
extitisse dicit, cum eiectus ab ipso ex vrbe fuit, cognouitque  
se ad finem pessima sua consilia perducere non posse:  
vtrique enim dolorem, quem animo tunc sentiebant,  
& quam inuiti inde abirent, signo quodam demonstrarunt.  
Summus igitur Orator inquit. Iacet ille prostratus,  
Quiritis, & se percussus, atque abiectum esse sentit,  
& retorquet oculos sæpe ad hanc urbem, quæ  
è suis faucibus ereptam esse luget. Homerus etiam hoc  
fieri vidit, notamque eam satis certam esse ægritudinis  
magnæ cognouit. Cum igitur facit Aiace perturbatum  
repentè, iniecto metu à Ioue animo ipsius, discedere

dere è praelio, sed cum dignitate, ita de ipso loquitur. *ἔπειτα παλιζόμενος ὀλίγον γόνυ γόνυ ἀμείβων.* Liuius etiam idem narrat in Annibale conspici potuisse, cum reuocatus à patria, inuitus, mœstusq; ex hostium terra excessit. inquit enim de illo. Respexisse sæpe Italiae littora ferunt. Et præterea Plutarchus, cum & ipse eodem pacto perturbatum exposuit Pyrrhum abiisse è Sicilia: accersitus enim ille quoque fuit à locijs, quos in eadem terra habebat: illi namque sine ipso vix in urbibus resistere poterant hostibus. Narrat igitur regem illum, cum iam in nauim ascendisset, conuersis oculis ad eam

A terram, dixisse cum dolore magno, Qualem relinquitur palæstrâ Pœnis, ac Romanis? Victor lib. 28. cap. 8. \* *Addè his illud è Cirri.* Et notas secum heu frustra respectat Athenas Æneas quoq; Carthagine discedent, mania respicit, ut est in 5. Æneid, quid soluisset eo respectu haud obscure prodens, manere ibidem videlicet, ni Iupiter fuisset. Citetur huius rei testis ipsemet lib. 6. in sermone, quo Didonem apud inferos affatur.

— per sidera iuro,  
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,  
Inuitus regina tuo de littore cessi.  
Sed me iussa Deum, &c.

- Ergo omni cura vires exercet, & inter  
 230 Dura iacet pernix instrato saxa cubili,  
 Frondibus hirsutis, & carice pastus acuta.  
 Et tentat sese, atque irasci in cornua discit  
 Arboris obnixus trunco, ventosq; laceffit  
 Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.  
 235 Post, vbi collectum robur, viresq; receptæ,  
 Signa mouet, præcepsq; oblitum fertur in hostem.  
 Fluctus vt in medio cœpit cùm albescere ponto  
 Longius, ex altoq; sinum trahit: vtque volutus  
 Ad terras, immanè sonat per saxa, nec ipso  
 240 Monte minor procumbit: at ima exæstuat vnda  
 Vorticibus, nigramq; altè subiectat arenam.

IACET PERNIX) Modò perseuerans. Horat. *per-nicis uxor Appuli.* Et est tractum pernix à pernitendo. Seruius.

CARICE ACUTA) Herba palustri, dura admodum, & aculeata.

VENTOSQVE LACESSIT) Ventos laceffere ictibus, videtur mihi gladiatorium verbum *ventilare* circumscribere, & representare. Ventilare siquidem gladiatores dicuntur, cum ante pugnam gladijs motis, & lusorijs ictibus aerem ferientes, proludunt ad certamen. Vnde & Seneca epist. 118. Quam stultum est, cùm signum pugnae acceperis, ventilare. Et Martialis lib. 5. & in toto *ventilat arma bone.* German. \* *De Mimotauris Catull. in eo de nupt.* Nequidquam vanis iactantem cornua ventis. *Laceffere ventos, est aera verberare, quod etiam à gladiatoribus ductum est, & dicitur eo Apostolus: imo illud ex hoc natum reor.*

SPARSA PROLVDIT ARENA) Proludit, non, præludit, vt *ἔπειτα παλιζόμενος* proloqui, non prælouqui. Et Græcis *ἔπειτα παλιζόμενος* pro ludia pugnae dicuntur, vt excursions ad praelium laceffendum: quod verbum & ad forum traductum est: vnde & Plato lib. 7. de leg. *ἔπειτα παλιζόμενος* pro lusiones certaminum appellat: & iureconsultis prælusorium iudicium in præiudiciali causa, hoc

est, *δίκη ἀπολογιστική.* German. \* *Huiuscemodi, comparationem de Pompeio inducit Lucanus lib. 2. cum eius trepidationem, fugamq; ex Italia declarat.*

Pulsus vt armentis primo certamine taurus  
 Sylvarum secreta petit, vacuosq; per agros  
 Exul in aduersis explorat cornua truncis.  
 Nec redit in pastus, nisi cùm ceruice recepta  
 Excussi placuere toti.

VIRESQ; RECEPTÆ) Quidam libri, *viresq; receptæ.* Haud absurdè.

OBLIT. IN HOSTEM) securum ex antea victoria: nihil metuentem.

FLUCTVS VT IN MED.) Transfer huc etiam quæ diximus ex Turnebo, ad illud lib. 7. Æneid. *Fluctus vt primo cœpit quum albescere vento.* Comparatio petita est ex Iliad. 2. ad verbum.

ὣς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κύμα θαλάσσης  
 ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, ζεφύρα ὑποκινήσαντο,  
 Πόντω μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, ἀντὰρ ἔπειτα  
 χέρσῳ ῥηγνύμενον μέγα λαβρέμεν, ἀμφὶ δὲ τ' ἀκράς  
 Κυρτὸν ἐὼν κορυφῶται παπῆυι δ' ἄλδος ἀχνην.

OMNE ADEO GENVS IN TERRIS HOMINVMQVE FERARVMQVE,  
 ET GENVS ÆQVOREVM, PECVDES, PICTÆQVE VOLVCRES  
 IN FVRIAS, IGNEMQVE RVVNT: AMOR OMNIBVS IDEM.

- 245 Tempore non alio catulorum oblita læna  
 Sæuior errauit campis: nec funera vulgò  
 Tam multa informes vrsi, stragemq; dedere.  
 Per sylvas, tum sæuus aper, tum pessima tigris:  
 neu malè tum Libya solis erratur in agris.

Nonne

- 250 Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum  
Corpora, si tantum notas odor attulit auras?  
Ac neq; eos iam fræna virum, nec verbera sæua,  
Non scopuli, rupesq; cauæ, atq; obiecta retardant  
Flumina, correptos vnda torquentia montes.
- 255 Ipse ruit, dentesq; Sabellicus exacuit sus:  
Et pede profubigit terram, fricat arbore costas,  
Atq; hinc, atq; illinc humeros ad vulnera durat.  
Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem  
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
- 260 Nocte natat cæca, serus freta: quem super ingens  
Porta tonat cæli, & scopulis illisa reclamant  
Æquora: nec miseri possunt reuocare parentes,  
Nec moritura super crudeli funere virgo.  
Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
- 265 Atq; canum? quid quæ imbelles dant prælia cerui?

OMNE ADEO GENVS IN TERRIS) Locum huc Amereri non potuit de natura: Hercules enim amauit Maronianum quasi cõmentario quodam exponit Phædra Senecæ in Hippolyto, Actu I. Totus etiam qui sequitur Chorus, de imperio Cupidinis in deos, homines, atque bestias differit. Puto Senecam ostendere in hoc argumento facundiam suam voluisse. Sapienter tamen Nutrix Phædræ respondet.

*Deum esse amorem, turpi seruitio fauens  
Finxit libido, quoq; liberior foret,  
Titulum furori numinis falsi addidit.*

M. Tullius I. Off. Commune autem animantium omnium est coniunctionis appetitus, & cura quædam eorum, quæ procreata sunt. Quibus verbis prima amoris causa, & communitas homini cum reliquis animalibus explicatur. Habet enim adhuc aliam, voluptatem videlicet solam, quod genus amoris indignum est eius præstantia. Sed de priore Aristotelem audiamus, si placet, ita scribentem Polit. lib. I. cap. 2. ἀνάγκη δὲ πρῶτον συνδυάζει τὸν ἀνὴρ ἀλλήλων μὴ δυναμένους ἑῷ, οἷον θῆλυ, καὶ ἄρρεν, πῶς γενέσθαι ἐνεκεν. Καὶ τὸ τοῦ ἑκαστοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐν τοῖς ἄλλοις ζῴοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφεῖσθαι οἷον αὐτὸ, τοῦ ἕτερον καταλιπεῖν ἕτερον. Necesse igitur est, primùm eos coniungi & copulari, quorum alter sine altero esse non potest, vt marem & fæminam procreationis causa. Atque hoc est tale alterum, quale ipsum sit, cupere relinquere. De hoc igitur amore potissimùm Virgilius agit. Alterius exemplum Læandrum adducit. Anacreon paucis.

*Ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάστης, Ille & deus deorum,  
Ὁ δὲ καὶ βεστὸς δαμάζει. Hominumq; victor ille.*

Accæteris quidem in rebus (ait ad Nicoclem Iocrates) multos etiam è populo videbam sibi posse moderari: sed amorum illecebris etiam summos viros succumbere. Id quod nos, qui sacris Christianis imbuti sumus, facillimè credimus: nam præter summos viros, etiam sanctissimos, sapientissimosque viros, & deo charissimos amoris esca miserè inescatos atq; captos, tum è sanctis litteris, tum ex historijs nouimus. Scitissimè scriptum à Fulgentio lib. 2. Parcite quæso iudices humanis ardoribus. Quid enim puerilis, aut muliebris sensus in amore efficiat, ex quo in libidinis pugna Herculeæ desudat virtus? Mulieris enim illecebra maior est mundo: quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido cõpressit. Inuasit ergo virtutem de crimine fæmina, quam

Omphalen, quæ eum persuasit & coli delegatos enervare contractus, & lasciuenti pollice fusi teretem rotare vertiginem. Parcè Fulgentius, prævt Tertullianus lib. de Pallio indignitatem huius Herculeæ seruitutis exaggerat. Rursum Fulgent. Tribus modis illecebra amoris traditur, aut cantu, aut visu, aut consuetudine.

CATVLORVM OB. LÆNA) Catuli non solum canum diminutiue, verum omnium animalium. Virgil. alibi quoque de serpentum fœtibus, Georg. 3.

*Cum positis nouus exuuiis, nitidusq; iuuenta  
Voluitur, aut catulos tectis, aut ouarelinquens.*

Plaut. Truculento. *Iam ego hercle hic te mulier, quasi sus catulos pedibus proteram.* Lucret. lib. 5. *At catuli pantherarum, scymniq; leonum.* Lucil. Satyr. lib. 4. *Concurset agros, catulos, fœtumq; ferarum.* Nonius.

INFORMES VRSI) *Catulus vrsinus informis caro nascitur: paulò muribus maior, sine oculis, sine pilo: vngues tantummodo prominent. Hanc lambendo matres paulatim figurant.* Plin. lib. 8. cap. 36. Quamuis sint hodie, qui receptam persuasionem, & multorum historicorum fidem, & asseuerationem experientia contraria vsu conuellant, negentq; informem ita carneam molem ab vrsæ nixu egeri, vt aut molam muliebrem pæne, aut pondus iners in animumque omnino referat, quam in artus mater lambendo effingat denique, videtur tamen Aristoteles non ita longe à vulgata opinione recedere, de hist. animal. lib. I. his verbis, vrsæ morem, ingeniumque describentibus, & ad loci huius argumentum sane congruè pertinentibus. Ἄρκτηι τὴν ὀχέειαν ποιοῦνται, &c. Fertur autem Maro non solum longum tempus posuisse in scribendis versibus, sed eos sæpe solitus inducere, restituere, texere, retexere, ad paucissimos denique retractando redigere: hinc dicere, se more vrsæ lambendo partus informes conformare tandem, & effingere. German.

PER SYLVAS TVM SÆVVS APER) Apri, & tigrides percitæ Veneris ardore per nemora quærunt, vnde illum ardorem restinguant. Quod si quis tum in cas belluas oberrantes inciderit, dilaniant ipsum.

NONNE VIDES, VT) Supra. *Nonne vides cum præcipiti certamine campum Corripuere.* His principijs versuum, Nonne vides, iam ne vides, mire delectatus est Lucret; Varro quoque vtitur lib. I. de re rust. cap. 39. *Nonne vides alia reflorescere verno tempore, alia aestiuo?*

PERTENTET) percipiat, peruadat, permoueat. Sic lib. 7. Æneid. Ac dum prima lues vdo sublapsa veneno Pertentat sensus, &c. Lucret. lib. 6. Inde tremor terras grauiter pertentat. Contra de gaudio lib. 1. Æneid. Lato-na tacitum pertentant gaudia pectus. Et lib. 5. Hic patris Anchisæ suspensam blanda vicissim Gaudia pertentant mentem.

NOT. ODOR ATTVL. A) Hypallage, pro, si auras notum odorem apportauerunt. Varro, & Columella docent, Veneris fastidium tolli in equis, si ad equarum naturalia naribus admoueantur.

CORREPTOS TORQUENT. MONTES) Montes dixit ὑπερβολικῶς pro saxis ingentibus.

ET PEDE PROSVB. T.) Breuiter Virg. eruditeq; pugnam aprorū stimulis Veneris agitatorum describit. [Non pugnam, sed parantes se ad pugnam, seu quid faciant ante pugnam, describit.] Quia autem interpretes sententiam ipsius (vt opinor) non perceperunt, non inutile me facturum putauit, si, quomodo intelligendus sit locus, ostendissem, simulque vnde acceperit accuratissimus poeta, indicassem. Quod igitur inquit, Et pede profubigit terram, non intellexit eos facere hoc ad acquirendum robur, quamuis studio & exercitatione vires crescant: sed significare voluit, ipsos lutum facere, in quo cum sapius se volutarint, deinde id exaruerit, ita durius ac crassius tergum, cutemque impenetrabiliorem reddunt, qui alter modus est, quo se armant, & quasi lorica induunt: nam alter aperte traditus est, & explanatus, dentesque exacuit. Quomodo autem locum ceteri accipiunt, exercitatio illa humeros non duraret: sed membra tantum expeditiora ad certamen, viresque corporis validiores efficeret. Manifesto etiam labitur Seruius, qui putat hæc de sue mansueto dicta esse: vsus argumento hoc, quod supra ait, Tunc seuius aper. Nec videt, quod vno verbo tantum illic dixerat, eum vberius nunc tradere, ac rem augere. Restat vt auctorem monstrem, vnde historiam poeta sumpsit, quod patefactum, vera esse quæ dixi, declarabit, atque omnem scrupulum, si aliquis forte restat, euellet. Is est Aristoteles, qui in 6. de animalibus inquit, καὶ οἱ ὄφεις ἀγριοὶ χαλεπώτατοι: καὶ περὶ ἀδενέσσοι περὶ τὸν καλὸν τῆτον ὄντες ἐστὶ τὴν ὄφειαν: καὶ περὶ ἀλλήλους ἢ ποιῶνται μάχης θαυμαστῆς: θωρακίζοντες ἑαυτοὺς, καὶ ποιῶντες τὸ δέρμα ὡς παχύτατον ἐκ παρασκευῆς περὶ τὰ δένδρα ἐστειλόντες, καὶ τῶν πηλῶν μολλύναντες ποδάκια, καὶ ξηραίνοντες ἑαυτοὺς, & quæ sequuntur. Modum autem, quo lutum conficerent, potius aperuit poeta, quam causam cur id facerent, indicauit, quod relicto altero, dilucide narrauit philosophus. Eleganter autem id docuit, vsus verbo subigere: intelligere enim debemus, terram madidam eam fuisse: in paludibus namque, stagnantibusque locis ferè degunt apri. Quod verò illum exacuere dentes inquit, non tetigit Aristoteles, docuit autem Euripides Phœnissis, cum furorem, rabiemque fratrum inter se pugnantium simili hoc explicauit. Κάπερ δ' ὄπως, δῆγοντες ἀγέλιαν γέννυ σὺν ἡλάνεσσιν. Victor lib. 12. cap. 9. \* Verba Plinij sunt lib. 8. cap. 52. Sues ferè semel anno gignunt. Maribus in coitu plurima asperitas. Tunc inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas, lutoque se tergorantes. Cur autem aper a poetis dicatur fulmineus, exposuimus in Eclog. 3. ad illum versum, Si dum tu sectaris apros, ego retia seruo. Absoluemus hunc locum de ferarum libidine appositis Senecæ versiculis ex Hippolyto.

Venerè instinctus suscipit audax Tunc vulnificos acuit dentes Grege pro toto bella iuuenus. Aper, & toto est spumeus ore: Sic coniugio timuere suo. Pœni quatiant colla leones, Poscunt timidi prælia cerui, Cùm mouit amor: tum sylua Et mugitu dant concepti gemit Signa furoris: tunc virgatas Murrure seruo. amat infani India tigres decolor horret. Bellua ponti, lucæque boues.

Vellit mibi aurem Nemesianus, nec sua taceri sult. Cerua marem sequitur, taurum formosa iuuenca, Et Venerem sensere lupæ, sensere leonæ, Et genus aerium volucres, & squamea turba, Et montes, syluaque, suos habet arbor amores.

QVID IUVENIS MAGNUM) Infani amoris in hominibus exemplum suggerit Laandrum, qui dum sapius noctu mare tranat, Herus fruēde, quæ ad alterum Hellesponti littus, oppido Sesto habitabat, quod Abydo etiam in littore posita è regione respondebat, aliquando factus audacior, etiam concitato ac turbulento mari se credidit. Ibi submersus, & cadaver eius in littus eiecūm est. Puella in turri iuxta littus, accensa lucerna viam ei monstrabat, quæ postmodum etiam se viam in pelagus abiecit. De his duobus Musæus poeta, ipso Homero vetustior, elegantissimum poematum reliquit. Eorundem sunt epistolæ inter illas heroidum apud Ouidium. Natationem hanc exhibuit populo Romano Domitianus, in quod spectaculum ita Martialis lib. 1.

Quod nocturnatibi Laandre pepercerit vnda, Desine mirari, Caesaris vnda fuit. Cùm peteret dulces audax Laandrus amores, Et fessus tumidis iam premeretur aquis, Sic miser instantes affatus dicitur undas: Parcite dum propero, mergite dum redeo.

Mythologiam ex lib. 3. Fulgentij visum est transcribere. Amor cum periculo sepe concordat, & dum ad illud solum natat, quod diligit, nunquam videt quod expedit. eros enim græcè amor dicitur. Laandron verò dici voluerunt, quasi λύσιν ἀνδρῶν, id est, solutionem virorum. Solutio enim viri amorem parturit. Sed natat nocte, id est, obscuro tempore tentat pericula. Hero quoque in amoris similitudine fingitur lucernam ferre. Et quid aliud amor, nisi flammam fert, & desideranti periculosam viam ostendit. Cito tamen extinguitur, quia iuuenilis amor non diu perdurat. Deniq; nudus natat, ea videlicet causa, quod suos affectatores amor & nudare nouerit, & periculis, sicut in mari, iactare. Nam extincta lucerna, utriusque mors est procurata maritima: hoc in euidenti significans, quod in utroque sexu vapore atatis extincto, libido commoritur. In mari verò mortui feruntur, velut in humore frigida senectutis. Omnis enim calarata inuentus igniculus tepida veternostatis algescit in senio.

INGENS PORT. TON. CÆLI) Imitatus est Ennium. Ille enim de P. Scipione, in eius persona.

Si fas cadendo caelestia scandere cuiquam, Mi soli cali maxima porta patet.

Quod recitat, & exagitat Lactan. lib. 1. cap. 18. Crinit. lib. 19. cap. 3. Vide & Turneb. lib. 18. cap. 27. Meminit huius distichi Enniani etiam Seneca ep. 108. sed paullò aliter legit. Verba eius apponam. Felicem deinde se putat (Grammaticus) quod inuenerit, vnde visum sit Virgilio dicere, quem super ingens Porta tenet cali. Ennium hoc ait Homero surripuisse, Ennio Virgilium. Est Ennij apud Ciceronem in his ipsis de repub. hoc epigramma, Sifas endo plagas, &c.

MORIT. CRVD. FVN. V) Virgo Hero hîc, quemadmodum Pasiphae Eclog. 6. Ah virgo infelix, &c. Vide quæ ibidem disseruimus.

LYNCES BACCHI V) Videtur voluisse retinere græcam vocem & epitheton. Euripid. siquidem λυγρὰς βαλιδᾶς, & ἑλαφὸν βαλιδᾶν, τετάρτη κατὰ σίλον vocauit: & Plutarch. de audiēdis poetis, ὃ μὴ χάνηται λυγρὸς αἰολώτερον. Æneid. li. 1. maculosa tegmine lyncis. Lyncibus, & tigribus Bacchi currus vehabatur. Ouid. 4. Metam. tu biungum pietis insignia franis Terga premis lyncum, Baccha, Satyriq; sequuntur. Ii GENVS

GENVS ACRE LUPORVM) Amor luporum non A  
amplius duodecim dies durat. Proditum à Plinio lib. 8.  
cap. 22. caudæ lupi vulgò credi inesse amatorium virus  
exiguo in villo: eumque, cum capiatur, abijci: nec idem  
pollere, nisi viuenti direptum.

IMBELLES DANT PRÆLIA CERVI) Cervus  
quoque est sua malignitas, quanquam placidissimo ani-  
malium. A conspectu separant se: at mares relictæ, rabie  
libidinis sæuiunt. Plin. lib. 8. cap. 32.

- Scilicet ante omnes furor est insignis equarum,  
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci  
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.  
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem  
270 Ascanium: superant montes, & flumina tranant:  
Continuoque audis vbi subdita flamma medullis,  
(Vere magis quia vere redit calor ossibus) illæ  
Ore omnes versæ in Zephyrum, stant rupibus altis,  
Exceptantque leues auras: & sæpe sine vllis  
275 Coniugijs vento grauidæ (mirabile dictu)  
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles  
Diffugiunt, non Eure tuos, neque solis ad ortus:  
In Boream, Caurumque, aut vnde nigerrimus Auster  
Nascitur, & pluuio contristat frigore cælum.  
280 Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt  
Pastores, lentum distillat ab inguine virus:  
Hippomanes, quod sæpe malæ legere noueræ,  
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.  
SED FUGIT INTEREA, FUGIT IRREPARABILE TEMPVS,  
285 Singula dum capti circumuectamur amore.  
Hoc satis armentis:

FUROR EST INSIGNIS EQUARVM) Horat. B  
Ode. 25. lib. 1. *Quæ solet matres furigare equarum.* Hinc  
*ἵππομανεῖν*, id est, equire, quod valet, libidine maris arde-  
re, *ὄργην εἰς ὄχειαν*. Et mulieres libidinosæ, ac libidine ar-  
dentes, dicuntur *ἵππομανεῖς*, & *ἵππομανεῖν*. Aristot. lib. 1.  
de animal. cap. 6. *αἱ μὲν ἔναι ἵπποι δὴ λείπει ἵππομανεῖσιν. ὁ δὲν  
ἔστι τὴν βλασφημίαν τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐπιφέρεισιν, ὡς τὸ μόνον τῶν  
ζώων τὴν ἐπὶ τῶν ἀκολάσων περὶ τὸ ἀφροδισιάζεσθαι.* Id est, Igi-  
tur equæ furunt in equos. Vnde ab vno hoc animante  
ductum est vocabulum, quod in mulieres conuitio dicitur,  
circa Venerem intemperantes.

De equarum libidine, nisi piget, lege quæ adducit  
Lamb. in Oden illam Horatij, quam supra citavi. Lege  
item Pierium libr. 4. vbi docet meretriciæ procacitatis  
hieroglyphicum esse equum. Hippopornon dicimus  
contumeliam, cum supremam cuiuspiam nequitiam, &  
immoderatam lasciuiam exprobramus. In diuinis quo-  
que litteris legimus, vnusquisque super vxorem proximi  
sui hinniebat, &c. Plin. lib. 10. cap. 63. quadrupedum  
prægnantes, inquit, Venerem arcent, præter equam, &  
suem. Adde Columellam ita scribentem libr. 6. cap. 27.  
Maximè itaque curandum est prædicto tempore anni,  
vt tam fæminis quam admistrarijs desiderantibus coeundi  
fiat potestas, quoniam id præcipuè armentum, si pro-  
hibeas, libidinis extimulatur furij, vnde etiam veneno  
inditum est nomen *ἵππομανεῖς*, quod equinæ cupidini si-  
milem mortalibus amorem accendat.

ET MENTEM VENVS IPSA DEDIT) Mentem  
dare, vel iniicere, est desiderium excitare in pectore ali-  
cuius, ad subitoque gerendum aliquid impellere. Lo-  
quitur ita Cic. pro Milone. Hic dij immortales (vt supra  
dixi) mentem dederunt illi perditio ac furioso, vt huic

faceret insidias: supra autem dixerat, mentem inie-  
cit. Liuius libro 6. vbi Manlium plebis animos con-  
tra patres inflammantem inducit, Dij prohibeant hæc:  
Sed nunquam propter me de cælo descendant, vobis  
dent mentem oportet, vt prohibeatis, sicut mihi dede-  
runt armato, togatoque, vt vos à barbaris hostibus, à su-  
perbis defenderem ciuibus. Victor. lib. 7. cap. 5.

GLAUCI POTNIADES MAL. MEMB.) Non pro-  
cul à Potnijs Bæotiar vrbe puteum fuisse legimus, ex  
quo si aqua hausta fuisset ab indigenis equis, furore agi-  
tabantur. Vnde appellata dea Potniades, quæ furo-  
rem faceret, hoc est, *μανιοποιός*. Ab eadem vrbe Pot-  
niades equæ. Ita Gyrard. Syntag. 1. Explicatio autem  
loci, siue intellectus verborum poetæ hic est. Nam ab  
eo tempore, quo iuxta Potnas, in agro Bæotia, equæ  
Glaucum discerpsent, propterea quod eas admistrura  
equorum prohibuisset, ipsamet Venus amoris stimu-  
lum equabus indidisse mihi videtur. Vide Natalem lib.  
8. cap. 5. Fabulam hanc nihil velle aliud opinatur Pala-  
phatus, quam Glaucum hunc, equorum nutritorem fu-  
isse, qui domestica bona nulla in re curabat: quinimmo  
sumptus perquam maximos cum quotidie magis, ac  
magis faceret, consumptus est: sicque victus omnis, ac  
facultas postremò illi defuit. Hoc non ita diuersum est  
ab eo, quod de Actæone à canibus dilaniato fabulantur  
poetæ. Nam & ille studio venationis opes suas in canes  
electos profudisse, aut certè rem familiarem neglexisse,  
atque ita ad paupertatem reductus dicitur. Vide Pala-  
phatum in Actæone, Fulgentium. lib. 3. mythol. & alios.

TRANS GARGARA) Gargara mons Phrygiæ,  
Ascanius fluuius eiusdem regionis. Synecdoche est, quæ  
mox ipse poeta exponit.

CONTINVOQ. AVIDIS VBI) Poeta totum hunc A  
locum, 13. versuum sumpsit ab Aristotele è 6. histor. animal. cuius hæc sunt verba, ordinem eundem sequentis. λέγονται ἢ ἐξανεμισθαι περὶ τὸν κλεινὸν τῦτον. Διὸ ἐν κρήτῃ ἢ ἐξανεμισθαι τὰ ὄχειά ἐκ τῶν θηλειῶν. Postremum autem hoc reliquit Virgilius, quia extra rem est, nec ad morbum ipsorum, insaniamque declarandam facit. Οὐ τὰν δὲ τῦτο πάθωσι, δένειν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων: δένειν ἢ ἔτε πρὸς ἑῶ, ἢ τε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον, ἢ νότον. τότε ἢ ἐκβάλλουσι τι: χαλῶσι ἢ τῦτο ὡσπερ δὴ τῦ τικτομένον, ἵππομανές: ὅτι ἢ οἶον ἢ χαρπεία, καὶ ζητῶσι τῦτο μάλιστ' πάντων οἱ περὶ τὰς φαρμακείας: ἐκρεῖ δὲ αὐτοῖς ἐκ τῶ ἀιδείν, ὁμοίον γονῆ, λεπότερον ἢ πολὺ ἢ τὸ ἄρρεν. καὶ χαλῶσι τῦτο τίνες ἵππομανές ἀλλ' ἢ τὸ δὴ τοῖς πάλοις φερόμενον. Quod igitur philosophus inquit, λέγονται ἐξανεμισθαι περὶ κλεινὸν τῦτον, poeta pluribus persecutus est: nam duos versus consumpsit in tempore describendo, quo potissimum insaniant: tres verd in vi eius verbi exprimenda. Quod autem addit, δένειν ἐκ τῶν ἄλλων ἵππων, vertit ille ornatu adhibito: *Saxa per scopulos, & depressas conualles Diffugiunt.* Præterea illa: δένειν ἢ ἔτε πρὸς ἑῶ, ἢ τε πρὸς δυσμάς, ἀλλὰ πρὸς ἄρκτον, ἢ νότον, consequentibus verbis, lumine orationis importato, conuersioque primum sermone ad ventum flantem ab ortu,

— non Eure tuos, neq. solis ad ortus,

*In Boream, Caurumq. aut vnde nigerrimus Auster Nascitur, & pluvio contristat frigore calum.*

Nam septentrionem indicavit nomine ventorum, qui inde flant. Adiungit Aristoteles ea, quæ supra posui: illa autem Virgilius exprimit quatuor, qui restant versibus. Quod enim est, οἱ περὶ φαρμακείας in græco, noster ad nouercas, veneficasque transtulit. Neque tamen quod Virgilius vero hoc nomine vocari hippomanes dicit, distinxit illud ab herba, quæ & ipsa idem nomen habet, vt falsò putarunt interpretes, sed à carne, quæ nascitur in fronte equi: hoc enim manifestò docet philosophus his verbis: ἀλλ' ἢ τὸ δὴ τοῖς πάλοις φερόμενον. Neque tamen negarim, oriri etiam è terra, quod hippomanes vocatur, id enim apertè tradit Theocritus in 2. Idyllio, canens, ἵππομανές φυτόν ἐστι παρ' ἀρκάσι. Tres igitur res longè diuersæ, quia idem valebant, ac veneficij vim habebant, eodem nomine vocabantur. Victor lib. 7. cap. 6.

SVBDITA FLAMMA) Id est, subiecta. Lucretius lib. 3.

*At natura bonum placido magis aere viuit:  
Nec minus iræi fax unquam subdita percit.*

Sic & M. Tullius pro Milone dixit subiicere faces inuidiæ. Quin hoc tempore ipso, cum omnes à tuis inimicis faces inuidiæ meæ subiicerentur.

ORE OMNES VERSÆ IN ZEPHYRVN) Varro lib. 2. de re rust. cap. 1. In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione, vbi est oppidum Olyssippo, monte Tagro, quædam è vento concipiunt certo tempore equæ, vt hic gallinæ quoque solent, quarum oua ἵπνεύμα appellat: sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium viuunt. Idem traditum à Columella lib. 6. cap. 27. Nec dubium quin aliquot regionibus tanto flagrent ardore coeundi fœminæ, vt etiam si morem non habeant, affidua, & nimia cupiditate figurantes sibi ipse venerem (cohortalium more auium) vento concipiant. Cum sit notissimum, etiam in sacro monte Hispaniæ, qui procurrat in occidentem iuxta Oceanum, frequenter equas sine coitu ventrem pertulisse, fœtumque educasse: qui tamen inutilis est, quod triennio prius quam adolescat, morte absimitur. Plin. item lib. 8. cap. 42. Constat in Lusitania, circa Olyssipponem oppidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flanti obuertas, animale concipi-

ere spiritum, idq. partum fieri, & gigni perniciosissimum ita, sed triennium non excedere. \* Hæc illi tres scriptores cum Virgilio consentientes prorsus. Per os equorum in Ventum obuertum, quidam earum naturalia intelligunt, sed errant. Plinius quoque de ouis hypenemijs, seu subuentaneis mira, lib. 17. cap. 60. his ipsis verbis scilicet. Irrita oua, quæ hypenemia diximus, aut mutua fœmina inter se libidinis imaginatione concipiunt, aut puluere: nec columba tantum, sed & gallina, & perdices, pauones, anseres, chenalopeces. Sunt autem sterilia, & minora, ac minus iucundi saporis, ac magis humida. Quidam & vento putant ea generari: quæ de caussa etiam Zephyria appellantur. Hæc autem vere tantum.

IN BOREAM, CAVRVMQVE, AVT VNDE) Ad Septentrionem, & Meridiem ait eas furore illo Venereo exagitas currere. Aristot. idem lib. 6. de hist. animal. vt supra vidisti.

CONTRIST. FRIG. CÆLVN) Tralatio à re animata ad inanimam, λυπῶ. Vtitur propriè eodem verbo Cælius ad Ciceronem epist. lib. 8. Contristauit hæc sententia Balbum, Cornelium, &c. Virgilius rursus lib. 10.

*Ille sitim, morbosq. ferens mortalibus agris  
Nascitur, & leuo contristat lumine calum.*

Horat. sat. 1. lib. 1. Quæ simul inuersum contristat Aquarius annum. Ex Lamb. in Horat.

HIPPOM. VERO QVOD NOM.) Vero nomine, nempe quod à re ipsa est impositum, ab insania equina: insanientibus enim præ libidine destillat è natura, & est illius ardoris impotentissimi iudicium. Vero nomine, ait Philargyr. quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata equæ in libidinem ardescant. Et Theophrastus carunculam in fronte equini pulli (vt etiam Plin. lib. 8. cap. 42. qui addit hoc amplius: colore nigro, quod statim edito partu deuorat fœta, aut partum ad vbera non admittit, si quis præceptum habeat.) Hippomanes autem ἐστὶ τῆς ἵππου μάνας, id est, ab equæ insania, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore virus natum ἐστὶ τῆς μάνας τῆς ἵππου. Hippomanes humorem esse virulentum, ex equarum obliænis defluentem, dum libidinis ardore vehementi concitantur, & insaniant, sentit cum Virgilio Tibullus lib. 2. eleg. 4.

*Quidquid habes Circe, quidquid Medea veneni,  
Quidquid & herbarum Thessala terra gerit,  
Et quod vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,  
Hippomanes cupida stillet ab inguine equæ.*

Vide supra, scilicet ante omnes furor est insignis equarum. De hippomane Pierius lib. 4.

QVOD MALÆ LEG. NOVER. MISCVER. HERBAS) Itaque veneficæ mulieres, si quem infano amore suo complere voluerint, ei coctum hippomanes herbis quibusdam venenatis admistis, additisque magicis incantationibus exhibere solent. \* Supra lib. 2. Sibi agit de malo Medico, eiusq. aduersum Venenæ Simpradicat.

Pocula si quando læuæ infecere nouercæ,  
Miscueruntq. herbas, & non innoxia verba.

De odio nouercarum in priuignos, ibidem aliquid attulimus. Hic autem non odijs, sed incesti amoris caussa illas legere hippomanes, & miscere herbas cum cantionibus magicis ait. Sed vt ibi sæuæ, ita hic relictis mala. Nominantur etiam funesta Seneca, Statius, Ouidio terribiles, Claudiano, & Ouid. dicit, Virgil. in eclogis iniusta. Hæc sunt, quibus ornantur epitheta. Nouercas nominat, quoniam illustra exempla multarum nouercarum sunt in hoc genere. Phædræ in Hippolytum, Faustæ uxoris Constantini in Crispum, &c. Memoranda sententia Plutarchi de huiusmodi mulieribus in Præcept. Coniug. Quemadmodum pisces medicamentis celeriter capiuntur, sed esus inuitiles sunt: sic mulieres quæ amoris poculis, & veneficis viros capiunt, voluptateq. in suam potestatem redigunt, stupidos eos, & corodes, corruptosq. deinceps vita socios habent.

FVGIT INT. IRREPARABILE TEMPVS) Multum ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas. Qui Grammaticus futurus Virgilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium, fugit irreparabile

*bile tempus*, Vigilandum est: nisi properamus, relinqui-  
mur. Agit nos, agiturque velox dies, inscij rapimur. Om-  
nia in futurum disponimus, & inter præcipitia lenti-  
sumus: sed ut obseruet quoties Virgilius de celerita-  
te temporum dicit, hoc uti verbo illum, *fugit. Optima*  
*quæq; dies miseris mortalibus aui Prima fugit.* Ille, qui ad  
philosophiam spectat, hæc eadem quod debet, abducit.  
Nunquam Virgilius, inquit, dies dicit ire, sed fugere:  
quod currendi genus concitatissimum est: & optimos  
quosque primos rapi. Quid ergo cessamus nos ipsi  
concitare, ut velocitatem rei rapidissimæ possimus æ-  
quare? &c. Seneca epist. 108. \* *De veloci cursu temporis,*  
*expeditum foret multos scriptorum locos producere: sed nihil atti-*  
*met in hoc longiores esse. Vnum accipe. Ouid. 3. de Arte.*  
Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.  
Nec quæ præterit, iterum reuocabitur vnda,  
Nec quæ præterit hora redire potest.

HOC SATIS ARMENTIS) Armenta, quod bo-  
ues ideo maximè parabantur, ut inde eligerent ad a-  
randum: inde aramenta dicta, postea tertia litera ex-  
trita, armenta appellata. Armenta, ait Festus, sunt co-  
rum animantium, quæ ad opus faciendum sunt ido-  
neæ: greges, ouium, caprarum, porcorum. Ouid. 1.  
Metamorph. *Mille greges illi, totidemq; armenta per*  
*herbas Pascebant.* Sed noster 1. Æneid. armenta, de  
ceruis dixit: *hos tota armenta sequuntur.* Et contra de  
iuuenco Pasiphaes Eclog. 6. *Aut aliquam in magno sequi-*  
*tur grege.* Et Horat. Ode 2. Epod.

*Aut in reducta valle mugientium*  
*Prospectat errantes greges.*

Armenti gregem dicit Varro lib. 2. de re rust. cap. 5. Qui  
gregem armentorum emere vult.

----- superat pars altera curæ,

Lanigeros agitare greges, hirtasq; capellas.

• Hic labor, hinc laudem fortes sperate coloni.

Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum

290 Quàm sit, & angustis hunc addere rebus honorem:

SED ME PARNASSI DESERTA PER ARDVA DVLCIS

RAPTAT AMOR: iuuat ire iugis, quàm nulla priorum  
Castaliam molli diuertitur orbita cliuo.

Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.

LANIGEROS GREGES, HIRTAS QVE CAPEL.) B cubi sues nudè nominauit: nam hoc non est de suis  
Cùm sues mansueti etiam sint in gregibus, miratur ma-  
gnopere Victor libr. 17. cap. 11. cur hoc libro Virgilius,  
quem de re pecuaria fecit, nihil de iis scripserit, quo-  
rum cura, studiumque magnum fructum affert rusticis  
hominibus. At certè Varro copiosè id, diligenterque  
persecutus est: neque enim sine aliqua culpa, iustaque  
reprehensione videtur posse, qui munus hoc suscepit,  
professusque est, docere, quæ ad studium rei pecu-  
ariæ pertinent, omittere bonam, magnamque partem  
eius curæ: in opere autem, quod absolutum puratur,  
hoc commisisse Virgilium, admirationem habet. Ne-  
que enim videtur sermonem de fæda, lutulentaque  
bestia despiciere debuisse, de qua etiam Homerus mul-  
ta in heroico carmine cecinisset: neque ipsum Iudæ-  
orum superstitioni fuisse deditum scimus: aut, ij, ad  
quos scribebat, his opinionibus imbuti erant. Qua-  
re quomodo ille purgari possit, docti cogitabunt

Purgat eum Titius libr. 10. cap. 3. in hunc mo-  
dum. Fortasse dici potest, non fuisse Virgilio propo-  
situm, omnes omnino rei rusticæ partes tractare: sed  
eas tantum, quæ illustriores essent, & cum dignitate he-  
roico carmine exponi possent: quod de suis facere ne-  
quiuisset, ignobili, & immunda bestia. Cum itaq; aliquot  
tantum rei rusticæ membra exponere in animo haberet  
Maro, multaq; sibi prætermittenda esse iudicaret, sum-  
mo consilio à suo poemate sues exclusit. Nam & in Bu-  
colicis, cum de pastoribus crebra fiat mentio, nunquam  
tamen porcarij, aut subulci commemorantur, opilio-  
nes, caprarij, bubulci sæpe comparent. Horatius quo-  
que, de eadem re locuturus, à porcorum commemora-  
tione abstinuit. Omisit etiam asinos, & mulos tanquam  
vilia animantia, & quæ tractata splendescere non pote-  
rant, à cuiusmodi argumentis poetam abstinere præ-  
cipit Horatius. Nec verò quidquam efficit, quod ali-

agere.  
HINC LAUDEM FORTES SPER. COLONI)  
Ex fœtura gregum non minor laus atq; vtilitas, quàm  
ex armentorum cura ad diligentem pastorem redire  
solet.

NEC SVM ANIMI DVBIUS) Etsi autem non  
ignoro, quàm difficile sit verbis hæc omnia consequi,  
& res tam angustas illustrare versibus: tamen quia a-  
mor Musarum, & vis ingenij, ipsaque rerum tractan-  
darum nouitas, & singularis quædam scribendi cupi-  
ditas huc impulerunt: idcirco laborem istum haud-  
quaquam defugiam: ac rem nulli veterum tentatam  
(nemo enim adhuc numeris, seu carmine hæc res per-  
secutus est) alacri mente aggrediar.

Veteres ita sæpe loquebantur, dubius, incertus,  
victus, saucius, præstans, miser animi: & angor, pen-  
deo, discrucior, excrucior, fallor animi, maturus æui,  
& similia. Quæris qui veteres? Cicero, Plautus,  
Terentius, Liuius, & alij. Est autem hæc quin-  
que carminibus Lucretium suum duobus locis bellif-  
simè, dexterrimeque imitatus. Primus è libro 1. hic  
est.

*Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta*  
*Difficile illustrare Latinis versibus esse:*  
*Multa nouis verbis præsertim cum sit agendum,*  
*Propter egestatem linguæ, & rerum nouitatem.*

Alter eodem lib. infra.

*Nec me animi fallit, quàm sint obscura, sed acris*  
*Percussit thyrsos laudis spes magna meum cor,*  
*Et simul incussit suauem mi in pectus amorem*  
*Musarum, quo nunc instinctus mente vigenti*  
*Ania Pieridum per agro loca, nullius ante*

Trita

*Trita solo: iuuat integros accedere fontes,  
Atq; haurire, iuuatq; nonos decerpere flores,  
Insignemq; meo capiti petere inde coronam,  
Unde prius nulli velarint tempora Musa.*

VERB. B. V. ET ANG. REB. ADD. HON. Hoc vere magnum, & difficile est: sed tamen vnus eloquentis est: qui vt è magnis parua, sic eadem facultate ex paruis magna & ingentia faciet, teste Isocrate. Quid autem Marone eloquentius? Itaque hoc cum isto ipso libro, tum perfectius etiam toto quarto præstitit, & angustis rebus mirabilem, & inimitabilem verborum honorem addidit. ✠

QVA NULLA PRIOR. CASTAL.) Dispono ire ad fontem Castalium per eam viam, per quam nullus

A ante egit orbitam suam. Neq; vero hoc tantum loco, sed alibi item se, à cæteris intacta, latino carmine persecutorum ostendit.

NUNC VENERANDA PALES) quod autem initio precatus sum à Cerere, Baccho, Pale, cæterisque dijs immortalibus, vt me in hoc nouo opere versantem, clementer adiuuare, & vnà mecum scribere velint: id ipsum nunc iterum, atque iterum omnibus precibus ab ipsdem exposco: teq; in primis veneranda Pales inuoco atque oro: vt in hoc stadio currenti benigne adesse, & mihi de gregibus ouium, caprarumque scripturo opem atque auxilium tuum afferre digneris. Nam te mihi præeunte, & viam commonstrante, facilius in hoc cursu omnes salebras, omnesque cliuos me superatorum confido.

- 295 Incipiens, stabulis edico in mollibus herbam  
Carpere oues, dum mox frondosa reducitur æstas:  
Et multa duram stipula, filicumq; manipulis  
Sternere subter humum: glacies ne frigida lædat  
Molle pecus, scabiemq; ferat, turpesq; podagras.  
300 Post hinc digressus, iubeo frondentia capris  
Arbuta sufficere, & fluuios præbere recentes,  
Et stabula à ventis hyberno opponere soli  
Ad medium conuersa diem, cum frigidus olim  
Iam cadit, extremoq; irrorat Aquarius anno.  
305 Hæc quoq; non cura nobis leuiore tuenda,  
Nec minor vsus erit, quamuis Milesia magno  
Vellera mutantur Tyrios incocta rubores:  
Densior hinc soboles, hinc largi copia lactis.  
Quàm magis exhausto spumauerit vbera mulctra,  
310 Læta magis pressis manabunt flumina mammis:  
Nec minus interea barbas, incanaq; menta  
Cinyphij tondent hirci, fetasq; comantes,  
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.  
Pascuntur verò syluas, & summa Lycæi,  
315 Horrentesq; rubos, & amantes ardua dumos.  
Atq; ipsæ memores redeunt in tecta, suosq;  
Ducunt, & grauido superant vix vbera limen.

STAB. IN MOLLIB. HERBAM CARP.) Primum opilioni hoc prouidendum, vt totum annum, intus & foris pecudem rectè pascat. Varro lib. 2. cap. 2. folia ficulnea, paleam, vinacea, furfures, cytisum, medicum proponit ad pabulum ouibus. Earum laudes cap. 9. exquitur. Laudat item Columella lib. 7. cap. 2. Stabula idoneo loco vt sint, ne ventosa, sed posita contra medium diem, & in longitudinem potius, sententia eiusdem, lib. 7. cap. 3. quam in latitudinem porrecta, vt simul hyeme calida sint, nec angustiaæ factus oblidant.

FRONDOSA REDUCIT. ÆSTAS.) Id est, donec vernum tempus redeat. Nam ver & æstas vnum fuerunt, sicut etiam autumnus, & hyems, secundum rationem hemispherij, inquit Seruius. \* Si ver nomine æstatis intelligendum est, quia proximum æstati est, non erit opus multis docere, cur frondosa. Nonne de sereno tempore illa sunt in Eclog. 3. Nunc frondent syluæ, nunc formosissimus annus? Et. 2. Georg. Ver adeo frondi nemorum, ver vtile syluis.

ET MULTA DURAM STIPULA) Varro lib. 2. cap.

2. Vbi stent oues, solum oportet esse eruderatum, & proclium, vt euerri facile possit, ac fieri purum. Non enim solum ea vligo lanam corrumpit ouium, sed etiam vngulas, ac scabras fieri cogit. Cum aliquot dies steterunt, subijcere oportet virgulta alia, quo mollius requiescant, purioresque sint: libentius etiam ita pascuntur. Columella lib. 7. cap. 3. Namque id pecus, quamuis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstiuu vaporis. Paulo infra: deturque opera, ne quis humor subsistat, vt semper quam aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quò purius, & mollius incubent fætæ. Sit caula mundissima, ne qua earum valetudo, quæ præcipue custodienda est, infestetur vligine.

TURPESQUE PODAGRAS) Respexit ad curam, quæ sine pannis, & medicaminibus sordidis non fit. Seruius.

**FRONDENTIA CAPRIS ARBUTA**) Columella lib. 7. cap. 6. Id autem genus (caprinum pecus) dumtaxat potius, quam campestrem situm desiderat: asperisq; etiam locis, ac syluestribus optimè pascitur. Nam nec rubos auerfatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis, frutetisq; maximè gaudet. Ea sunt arbutus, atque alaternus, cythifusq; agrestis. Nec minus ilignei querneique frutices, qui in altitudinem non profiliunt. Non multò aliter, inquit Varro. lib. 2. cap. 3. tuendum hoc pecus in pastu, atque ouillum: quod tamen habet sua propria quædam, quod potius syluestribus saltibus delectantur, quam pratis. Studiosè enim de agrestibus fruticibus pascuntur, atque in locis cultis virgulta carpunt, &c.

**FLUVIOS RECENTES**) Id est, aquam statim hauritam: nam si pigram potauerint, morbum statim contrahunt. Seruius

**IRRORATA QVARIVS ANNO**) Vide Seruium. **ET STABA VENT. HYBER.**) De stabulis Varro eod. cap. Stabulatur pecus melius, ad hybernos ortus si spectat, quod est alsiosum: sed ut pleraque, lapide, aut testa substerni oportet caprile, quo minus sit vliginosum, ac lutulentum. Columella vero eod. libr. & cap. quo supra. Ipsum verum caprile vel naturali saxo, vel manu constratum eligi debet, quoniam huic pecori nihil substernitur, &c.

**NON CVRA LEVIORE TVENDA**) Utilitas ouium, & caprarum æquiparatur. Quamuis lanæ pretium maius sit, tamen partura caprarum, & mulctra, ut sequitur, copiosior est.

**QVAMVIS MILESA MAGNO**) Fuere Milesij delicijs, luxuque notabiles, ex eoq; proverbium græce fertur. οἰκοὶ τὰ μιλῆσια, μὴ γὰρ ἐνθάδε, hoc est, domi, non hic Milesia: in eos videlicet, qui domesticum luxum celebrant, vbi minus probatur. Nam sic Lacedæmone Milesius hospes audiuit, cum delicias patrias extolleret. Sed & Max. Tyrius idem significat, qui Milesios à vestitu molliore vocat ἐνείμονοι αἰῶνες. Ex quo Virgil. tum hoc lib. tum 4. Georg. Milesiorum vellera, ut pretiosarum meminit. Hinc etiam illud Horatianum epist. 17. lib. 1. *Alter Mileti textam cane peius & angue Vitabit chlamydem.* Sunt autem Iones quoque cæteri præquam delicijs habiti defluentes, quod in veteribus memorijs passim. Politian. cap. 16.

**DENS. HINC SOB. HINC LARGI**) Ouis gemi-

nos parere solet, ait Varro lib. 2. cap. 2. At capra nunquam trigeminos, ait Columella libr. 7. cap. 6. immò secundum Plinium lib. 8. cap. 50. quaternos, sed rarò admodum. Probatum autem inde capella, si sit vberis maximi, & lactis abundantissimi, inquit Columella lib. eod. Quæ sub rostra duas mammulas pensiles habent, eas censet fecundiores Varro: sicut quæ sunt vberis grandiore, eas lactis, & pinguis quidem abundantiores, pro portione. De granditate vberis paulo post iterum Virgilius, *& grauido superant vix vbera limen.*

**QVAM MAGIS EXHAVSTO**) Quam magis, tam magis dicendum erat: sed alteram particulam, tam scilicet, omisit. Æneid. lib. 7.

*Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugna.* Vide quæ ibidem annotauimus.

**NEC MINVS INTEREA BARBAS**) Varro lib. 2. cap. 11. Vt fructum ouis è lana ad vestimentum: sic capra pilos ministrat ad vsum nauticum, & ad bellica tormenta, & fabrilia vasa. Columella lib. 7. cap. 6. Caper cui sub maxillis binæ verruculae collo dependent, optimus habetur, amplissimi corporis, cruribus crassis, plena & breui ceruice, flaccidis & prægrauatibus auribus, exiguo capite, nigro, densoq; & nitido, atque longissimo pilo. Nam & ipse tondetur *vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.* De hirco laudabili Varro: hircus molliori pilo, & potissimum albo, ac ceruice, & collo breui, gurgulione longiore. Vide & Pallad. lib. 12. tit. 13.

**CINYPHI HIRCI.**) Cinyphes genus Libyum, à Cinyphe fluuio. Silius cum agit de populis, qui Annibali aduersus Roman. auxilio fuerunt, Macas ad Cinyphem habitantes nominat, & ita quidem, ut versus eius non nihil ad huius loci illustrationem afferant. Sic ille.

*Tum primum castris Phœnicum tendere ritu*

*Cinyphij didicere Macæ squalentia barba*

*Ora viris, humerosq; tegunt velamina capri*

*Setigeri, panda munus est armata cætera*

**PASCUNTUR VERO SYLVAS**) De pabulis caprarum supra ex Varrone & Columella eadem.

**MEM. RED. INTECTA, SVOS QVE**) Cibo fatu-  
ræ capellæ, & lacte distentæ, domum vltro redeunt, suosque hædos vnà secum adducunt. Videas ibi nonnullas lactis abundantia ita turgentes, atq; oneratas, ut præ grauibus vberibus limina ostiorum vix transire possint.

Ergo omni studio glaciem, ventosq; niuales,

Quò minus est illis curæ mortalis egestas,

320 Auertes: victumq; feres, & virgea lætus

Pabula: nec tota claudes fœnilia bruma.

At verò Zephyris cum læta vocantibus æstas

In saltus vtrumq; gregem, atq; in pascua mittes:

Luciferi primo cum sidere, frigida rura

325 Carpamus: dum mane nouum, dum gramina canent,

Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Inde, vbi quarta sitim cæli collegerit hora,

Et cantu querulæ rumpent arbuta cicadæ:

Ad puteos, aut alta greges ad stagna iubeto

330 Currentem ilignis potare canalibus vndam.

Æstibus at medijs vmbrosam exquirere vallem:

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus

Ingen-

Ingentes tendat ramos: aut sicubi nigrum  
Ilicibus crebris sacra nemus accubet vmbra.

325 Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus  
Solis ad occasum, cum frigidus aera vesper  
Temperat, & saltus reficit iam roscida luna:  
Littoraq; halcyonem resonant, & acanthida dumi.

QVO MIN. E. ILL. C. M. E. G.) Quanto minus curam A  
sui gerere possunt, & sibi prouidere, quae egestas mortali desiderat, tanto studiosius illis necessaria suppeditabis. Huic pecudi nocet aestus, ait Columel. lib. 7. ca. 6. sed magis frigus, & praecipue faetae, quae gelicidio hyemis conceptum fecit. Idem cap. 3. pactionem aliquam, & pabulationem hybernarn permittit, & vernam. Hyeme, inquit, & vere matutinis temporibus intra tecta contineantur, dum dies arnis gelicidia detrahat. Nam pruinosi diebus herba pecudi grauedinem creat, ventremq; proluit. Quare etiam frigidis, humidisq; temporibus anni semel tantum ei potestas aquae faciendae est. Idem Varro sentit, cuius verba sequuntur. Hyberno ac verno tempore, pruina iam exhalata, propellunt in pabulum, ac pascunt diem totum: at meridiano tempore, semel agere potum fatis habent.

FOENIL.) Foenilia, sicut & palearia, dicuntur tecta in villa, aut domo rustica, sub quibus foenum & palea reponuntur. Tabulatum appellant Varro, & Columella sepius: vnde reponere foenum in tabulato apud eisdem.

AT VERO ZEPH.) Traditur deinceps pastus communis ouium, & caprarum, aestatis tempore: in quo tempora distinguuntur duo pabulandi, totidem aquandi, vnum requiescendi, hoc modo, &c.

LUCIF. PRIMO CVM SID.) De hoc, & vespertino tempore pascendi, de potum agendo, & vmbra in meridie captada, ommissa secunda aquatione ante pastum vespertinum, ex Virgilio ita scribit Pallad. lib. 12. tit. 13. Aestiuus mensibus pascantur sub lucis initio, cum gramini teneri suauitatem roris mistura commendat. Quarta hora calefcente, potus puri fluminis, aut putei praebatur, aut fontis. Medios calores vallis, aut arbor vmbrosa declinet. Deinde vbi flexo iam die ardor infringitur, & solum primo imbri vespertini roris humescit, gregem reuocemus ad pascua. Columel. lib. 7. ca. 3. De temporibus autem pascendi, & ad aquam ducendi per aestatem, non aliter sentio, quam vt prodidit Maro, *Luciferi primo cum sidere*, &c. Quis autem non videat Virgilium haec a Varrone sumpsisse: Ille enim lib. 2. cap. 2. sic habet. Recitauimus verba ad Eclo. 8. vbi idem carmen ad verbum est positum.

Nemefia. eclog. 1. hunc locum sibi exprimendum sumpsit, *viridique gregem permittere campo, Et ros, & primi suadet clementia solis*. Vbi pereleganter primum sole vocauit, vt hic Virg. *Luciferi primum sidus*, id est, orti incipientem, primum eius ortum: quomodo Horatius, primam noctem, quando contenebrare incipit. Praecipit in eandem sententiam Calpurnius eclog. 5.

--- tunc campos ouibus, dum meta capellis  
Orto sole dabis, simul hunc accedere montem.  
Caperit, & prima spatium tepescerit hora.  
Et subiicitur infra huius rei causa, qua tetigit supra Pallad.

--- humida dulcis  
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris  
Frigida nocturno tanguntur pascua rore.

Quibus ipsis verbis ad Virgilianum locum allusum cernis.  
VBI Q. SIT. COL. HORA) Horat. Ode 12. lib. 4. *Adduxere sitim tempora Virgili.*

ET CANT. QVER. R. A. CIC.) Laudes huius insecti, cicadae inquam, mellitus Anacreon Ode quadam tota explicauit, quam lectori talium deliciarum cupidiori, ad verbum, & cum interpretatione latina exhibendam censui.

Μακροζώνη σε τέτιξ  
Ὅτι δένδρων ἐπ' αἶρων  
Ὀλίγη δέσπον πεπωκώς,  
Βασιλεὺς ὅπως αἰδέισ.  
Σὰ γὰρ ὄρε κείνα πάντα  
Ὅποσα βλέπεις ἐν ἀγροῖς,  
Χ' ὅποσα φέρσιν ὄρει  
Σὺ δ' φίλια γεωργῶν,  
Ἀπὸ μηδενὸς τι βλάπτων.  
Ἐν δ' ἴμι βροτοῖσι,  
Θέρεθ' ἄλκυος ἀεθρήτης.  
Φιλέσει μὲν σε μῦσαι,  
Φιλέει δ' φοῖβος αὐτός,  
Διγυρὴν δ' ἔδωκεν οἶμν,  
Τὸ δ' ἄγεθ' ἴσε τέρει  
Σοφὸς, γηγενὴς, φίλυμνε,  
Ἀπαθὴς, ἀναμύσσητος.  
Σχεδὸν εἰ θεοῖς ὄμοιοι.

Oter quaterq; felix  
Cicada, qua supremis  
In arborum viretis  
Roris potum ut bibisti,  
Cantare dulce gaudes,  
Reginam agens potentem.  
Quodcumq; conspicaris,  
Tuum est quod arua gignunt,  
Quod sylua cunq; profert.  
Te amplectitur colonus,  
Quod eius in labores  
Iniuriosa non sis:  
Colunt cicada te omnes,  
Diuina quod puteris  
Aestatis imminentis.  
Te diligunt Camæna,  
Te diligitq; Phœbus,  
Vocemq; dat canoram.

Te non senecta carpit,  
Festina terra alumna,  
Cantus amica, & omnis  
Mali, & doloris expers,  
Vlla nec aucta carne,  
Nec aucta sanguine vlllo:  
Ipsis abes parum a diis.

De cicadis habes plura Eclo. 2. ad hunc versum, puta, *Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis*. Quod ad versum Maronis, *Et cantu querula*, &c. Hesiod.

Ἡμῶν δ' ἄλλοθεν κωνόπτερος ἠχέτα τέτιξ,  
Ὀζωρεζόμενος δέρεθ' ἀνδρῶ ποισιν αἰδέειν  
Ἀρχεται.

AEST. IN MED.) Circiter meridianos aestus, dum deferescant, sub vmbrikeras rupes, & arbores patulas subiiciunt: quoad refrigerato aere vespertino, rursus pascant ad solis occasum. Ita pascere pecus oportet, vt a uerso sole agat: caput enim maxime ouis molle est. Ab occasu paruo interuallo interposito, ad bibendum appellunt, & rursus pascunt, quoad contenebrauit. Iterum enim tum iucunditas in herba redintegratur. Calpurn. eclog. 5. idem praecipitum his versibus complexus est.

At simul arguta nemus increpuere cicada,  
Ad fontem compelle greges: nec protinus herbas,  
Vel campos permittite sequi, sine protegat illos  
Interea veteres quae porrigit asculus vmbra.  
Verum vbi declina iam nona tepescere sole  
Incipiet seraq; videbitur hora merenda,  
Rursus pascere greges, & opacos desere lucos.

MAGNA IOVIS QVER.) lib. 3. Aeneid. de Cyclopiibus.

--- quales cum vertice celso  
Aeria quercus, aut comifera cyparissi  
Constiterant, sylua alta Iouis, lucusue Diana.

Syluam Iouis quercetum vocat. Censent nonnulli, ideo dari solitam coronam quernam ei, qui ciuem seruasset, quodd cum quercus sacra Ioui sit, & in Iouis tutela ciuitates,

tes, par videretur eum ea fronde coronari, quæ tutori, ac præfidi omnium ciuitatum dicata esset.

SAC. NEM. ACCUB. VMB.) Accubare nemus sacra umbra dixit, cum umbra potius sacra accubet in nemore, ac sub arboribus iaceat, vt & ante locutus est, *speluncaq; regant, & saxea procubet umbra.* Turneb, lib. 5. ca. 4.

ROSCID. LVNA) Non temere Virgil. lunam roscidam vocauit, neq; enim sequar sententiam veteris interpretis, qui lunam hinc noctem accipit: nec enim omnes noctes vno tenore eadem vim roris gignunt. Luna namque silente, non multus ros descendit: contra autem in plenilunio magna copia ipsius funditur. Sequitur igitur non rem ipsam tantum, quam notam illi fuisse verisimile est, sed Alcmænis nobilis poetæ sententiam, qui rorem Iouis ac Lunæ filium esse cecinit suauiter hoc carmine. *Διὸς δ' ὑγατὲρ ἔρσα τρέφει, καὶ σελάνας δ' ἴσας.* Nam ἔρσαν

illic *δέρον* valere, quo verbo consuetudo rorem vocabat, cum illud poetarum vocabulum esset, declarauit Plutarchus in commentario, qui inscribitur, *αἰτία τῆς σιγῆς*, vbi hunc versum citat. Illum vero intellexisse Macrobius videtur prope finem lib. 7. Saturnal. cum inquit. Vnde Alcmæ Lyricus dixit, rorem aeris & lunæ filium. Victor. lib. 14. cap. 17. \* *Et Lucretius lib. 6. pereleganter roriferas noctis umbras.* Hinc vbi roriferis terram nox obruit umbris. Ergo hæc tenus *zonarum temperatarum pastio, Italica præcipue, descripta est: mox intemperatarum, vnius torrida, alterius frigida, Libyca, & Scythica* videlicet describetur.

LITTORA QVE HALCYONEM) De halcyone dictum satis 1. Georg.

ET ACANTHIDA DVMI) Acanthis, quam alij lusciniâ esse volunt, alij carduelem, quæ spinis, & carduis pascitur. & inde est apud Græcos acanthis dicta *ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν*, à spinis, quibus pascitur. Seruius.

- 340 Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu  
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?  
Sæpe diem, noctemq; & totum ex ordine mensem  
Pascitur, itq; pecus longa in deferta sine vllis  
Hospitijs: tantum campi iacet. omnia secum  
Armentarius Afer agit, tectumq; laremq;  
345 Armaq; Amyclæumq; canem, Cressamq; pharetram.  
Non secus ac patriis acer Romanus in armis  
Iniusto sub fasce viam cum carpit, & hosti  
Ante expectatum positus stat in agmine castris.

QVID TIBI PASTORES LIBYÆ) Quæ supra dicta fuerunt, in eadem regione, ac celo temperato animaduertenda. Diuersa autem ratio est in ijs locis, vbi aut solis feruor immodicus est, vt in Libya: aut hyemis frigus intemperatam, vt in Scythia. Nam in regionibus longinquis, multa millia sæpe absunt hybernæ pastiones ab æstiuis. Igitur in Libya pastores brumali tempore agendis pecudibus diem, noctemque continuant: & sæpenumero totum mensem gregem in campis latissimè pascunt. Ibi enim vastæ sunt solitudines, & villæ rarissimæ, vel etiam nullæ. Portant itaq; secum crates, aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, cæteraque utensilia, & arma.

MAPAL.) Mapalia casæ punicæ appellantur: in quibus, quia nihil est secreti, solet id vocabulum solute viuientibus obijci. Ita Festus. Vbi Scalig. F. ait hominibus solute viuientibus exprobrari vocem mapalia, & verum est. Seneca *ἀποκλωκινθώσει.* Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiseram. Vos mera mapalia fecistis, hoc est, susque deque habuistis, & dissolute potius egistis. Hæc ille. \* *Quæ porro hic mapalia, lib. 1. Æneid. magalia* videtur nominasse, Miratur molem Æneas magalia quondam.

ARMENT. AFER.) Absolute armentarium posuit, cum loquatur de gregibus.

TECTVM QVE, LAREM QVE) Quomodo tectum, & larem baiular pastor? soluitur. Tectum dicit tentorium, vnde tectum faciat. Nunc larem, deos dicit penates, id est ignem, vnde focum faciat. Philargyr. Est autē figura *πολυσύνδετον*, vt apud Terent. Adolph. *Quod mihiq; heraq; filiaq; herili est.*

AMYCLÆVM QVE CANEM) Amyclæ ciuitas Laconia. Laconici canes laudantur. Horat. Ode. 6. Epod.

*Nam qualis aut Molossus, aut fuluus Lacon,  
Amica vis pastoribus.*  
Sed Amyclæus canis pro quouis cane, & venatico *συνε-*

*δοχῆ.* Cressam pharetram eodem modo intellige. Et vult pastorem egregium etiam arma habere, quibus & se tutatur, & aliquid etiam venetur. Seruius.

INIUSTO SVB FASCE) Sub fasce, sub onere, sub sarcinis. Iniusto, id est, graui supra modum. Ferebant enim milites Romani præter arma vallum etiâ, ac plusquam dimidiati mensis cibaria. Auctor Polybius, & Vegetius lib. 1. cap. 15. Inde sub sarcinis adoriri. Cæsar. 2. de bello Gall. cap. 1. Sic lib. 3. cap. vlt. Impeditos in agmine, & sub sarcinis infirmiore animo adoriri cogitabant. Cuius belli lib. 1. Veriti ne noctu impediti sub onere confingere cogerentur. De bello Africano. Milites sub onere, ac sub sarcinis pugnare non posse. Cum autem sine sarcinis sunt, expediti appellantur. Cæsar 2. de bello Gall. cap. 5. Nam quod hostis appropinquabat, consuetudine sua Cæsar 6. legiones expeditas ducebat.

De laboribus & exercitationibus Romanæ militiæ Cic. Tusc. 2. Nostri exercitus primùm vnde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis. Ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quod ad vsum velint: ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt. Quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus fuerit, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, concursus, clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in prælijs paratus ad vulnera. Hæc Tullius. Meritò itaque hinc falcis iniustus à poeta dicitur, & repetitur à Vegetio lib. 1. quando & tyrones 60. librarum pondus gestare, atque iter militari gradu facere, id est 20. millia passuum, quinque horarum spatio absoluerere cogebantur: quò in expeditionibus deinde facilius annonam, & arma portarent.

VIAM CVM CARPIT) Horat. Sat. 6. lib. 2. *Carpe viam (mihi crede) comes.* Idem Sat. 5. lib. 1. *Inde Rubos fessis per-*

*si peruenimus, utpote longum Carpentis iter.* Varius est usus verbi huius carpere, de quo consulendus Lamb. ad Oden Horatij II. lib. I.

ANTE EXPECTATVM) Philargyr. explanat, ante expectationem, & prius quam expectaretur, & an-

Atequam venire putaretur. Certè hostem de improviso opprimere, ut is non prius hostem adesse, quam se captum intelligat, non minima pars est artis imperatoriae, & in celeritate plerumque res sita est. Notum illud Iulij Caesaris: Veni, vidi, vici. &

- At non, quæ Scythiæ gentes, Mæoticaq; vnda,  
 350 Turbidus, & torquens flauentes Ister arenas:  
 Quaq; redit medium Rhodope porrecta sub axem.  
 Illic clausa tenent stabulis armenta, neq; vllæ  
 Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:  
 Sed iacet aggeribus niueis informis, & alto  
 355 Terragelu latè, septemq; assurgit in vlnas.  
 Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.  
 Tum sol pallentes haud vnquam discutit vmbas,  
 Nec cùm inuectus equis altum petit æthera, nec cùm  
 Præcipitem oceani rubro lauit æquore currum.  
 360 Concresecunt subitæ currenti in flumine crustæ:  
 Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,  
 Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris:  
 Æraq; dissiliunt vulgò, vestesq; rigescunt  
 Indutæ: cæduntq; securibus humida vina:  
 365 Et totæ solidam in glaciem vertère lacunæ:  
 Stiriaq; impexis induruit horrida barbis.  
 Interea toto non secius aere ningit.  
 Intereunt pecudes: stant circumfusa pruinis  
 Corpora magna boum: confertoq; agmine cerui  
 370 Torpent mole noua, & summis vix cornibus extant.  
 Hos non immisissis canibus, non cassibus vllis  
 Puniceæ uæ agitant pavidos formidine pennæ:  
 Sed frustra oppositum trudentes pectore montem,  
 Cominus obtruncant ferro, grauitèr q; rudentes  
 375 Cædunt, & magno læti clamore reportant.  
 Ipsi in defossis specubus secura, sub alta  
 Otia agunt terra: congestaq; robora, totasq;  
 Aduoluere focis vlmos, igniq; dedere.  
 Hic noctem ludo ducunt: & pocula læti  
 380 Fermento, atq; acidis imitantur vitea forbis.  
 Talis Hyperboreo Septem subiecta rioni  
 Gens effræna virum Riphæo tunditur Euro:  
 Et pecudum fuluis velantur corpora setis.

AT NON QVA SCYTH. GENT.) Contrà in Scythia pastiones ouium, per totam hyemem prorsus nullæ sunt. Nam quidquid terrarum ab vno latere Istro, ab altero montibus Riphæis inclusum, vsque ad paludem Mæoticam in longitudinem, & latitudinem protenditur, id omne tanta frigoris hyberni immanitate riget, ut neque herbæ, aut gramina in campis, neque arbores frondosæ in solo sterili, atq; infœcundo existant. Itaq; & inopia pabuli, & hyemali rigore præpediti, pecudes intra septa, per totam hyemem inclusas continent: neq; in

campos, niue obrutos exire patiuntur. Est enim illis in locis ea niuis altitudo, ut plerumq; vltra septem vlnas assurgat. Ventorum quoque rigor illic intolerabilis, hyemes perpetuæ, cælum aspernum, continuæ noctes, dies nulli per totam hyemem radiis solaribus lucidi. Nã siue sol oriatur, siue occidat, suum fulgorè in illas terras nunquam transmittit. De Scythiis, & vtrum eos Homerus ignorauerit, Strabo lib. 7.

MÆOTICA Q. V. N. D. A.) Mæotis palus cum Tanai fluuio Europam extremam à septentrione concludit.

504

FLAVEN. ISTER ARENAS) Ister idem qui Danu-  
bius. De eo, & eius accolis Ouid. 2. Trist.

*Solus ad egressus missus septemplex Istri,  
Parrhasia gelido virginis axe premor.  
Faxiges, & Colchi, Metereaq; turba, Getaq;  
Danubij medijs vix prohibentur aquis.*

NULLÆ AVT HERBÆ, AVT. A. F.) Horat. Ode. 22.  
lib. 1. de hac mundi parte.

*Pone me pigris ubi nulla campis  
Arbor æstiva recreatur aura,  
Quod latus mundi nebula, malusq;  
Iupiter urget.*

Sterilis nempe, horrida inculta, perpetuis frigoribus &  
niuibibus rigens. Vbi cælum semper graue, nubilum, cali-  
ginosum, &c. Vbi nec oriens sol, nec occidens videtur.  
Sequitur amplificatio frigoris deinde ex effectis ipsius.

TVM SOL PALLENTES) Hunc versum, & qui  
deinceps sequuntur duos transtulit ex Homero O-  
dyss. 1.

--- εἰς ποτ' αὐτὸς  
Ἡέλιος φάει δ' ἄνδ' ἔρχεται ἀκτίνεσσιν,  
Οὐδ' ὅ ποτ' ἀνείχουσι πρὸς ἕγρον ἀσεβέητα,  
Οὐδ' ὅταν ἀψ' ὄψιν γαῖαν ἀπ' ἕγρον δέν περ ἐγρήθηται.

PRÆCIPIT. OCEANI) Confer huc ex Brodæo  
à nobis transcripta in 8. Æneid. sub finem, ad illud, *ab  
aurota populis, & littore rubro.*

CONCRET. SVB. CVRRENT. IN FLVM. CRV-  
STÆ) Lucret. lib. 6.

--- videmus  
*Siccari, mollisq; luti concrefcere crustas.  
Nec minus exultant, ubi currus fortis equum vis  
Ferratos utring; rotarum succutit orbes.*

Arbitror hanc Virgilianam, & quidem elegantissimam  
periphrafin fluuij glacie astricti, poetis quibusdam scho-  
lasticis occasionem dedisse ludendi, & amnem gelu du-  
ratum, seu glacie concretum, super quo currus etiam à  
iumentis trahi queant, quod & ipse Virgilius addit, tā-  
ta varietate, vt videre est in Appendice Maronis, expri-  
mendi. Animi gratia exempla aliquot consideranda ty-  
roni proponam: reliqua sibi legat qui volet, liber e-  
nim est obuius. Nec verò in his, nec in aliis eiusdem li-  
bri poematis, quæ Scalig. F. per studiosè collegit, atque  
in certos ordines pulchre distribuit, legendis operam  
perditurum spondeo.

Pompeianus,

*Quæratis egit iter, vineto boue plaustra trabuntur,  
Postquam tristis hiems frigore vinxit aquas.*

Maximianus.

*Sustinet unda rotam patula modo peruia puppi,  
Et concreta gelu marmoris instar habet.*

Basilius.

*Unda rotam patitur, celerem modo passa carinam,  
In glaciem solidam versus vt amnis abit.*

Iulianus.

*Quæ puppes ibant, adducunt plaustra iuueni,  
Pigrior vt cano constitit unda gelu.*

CÆDVNTQVE SECVR. HVM. VINA) Quæ-  
rit Alexand. Aphrodis. problemat. a. cur oleum, & aqua  
frigore concrefcant, vinum, & acetum non. Sed tamen  
vinum, quanquam calidum, & exile, certum est conge-  
lascere, non tantum in Scythia, quod hic præclare sentit  
Virgilius: sed etiam alibi, non in ipsis tamè cellis, ac do-  
liis conditum, sed in vasculo sub dio positum. Licet Plin.  
lib. 14. vini naturam non gelascere, sed ad frigus tantum  
stupere scribat, aliq; ab Homero αἰδοπα οἶνον ea ratione  
appellatum tradant. Brod. lib. 5. cap. 31.

Hoc epitheton humida vina, putat otiosum Quin-  
tilianus, apud oratores intellige. Sic enim lib. 8. cap. 6.  
Epitheto poetæ & frequentius, & liberius vtuntur. Nā-  
que illis satis est conuenire verbo, cui opponitur: & ita  
dentes albi, & humida vina.

IN SOL. GLA. VERTERE LA.) Verbis quibusdam a-  
ctiuus παθητικῶς vfos esse veteres, & hoc ipso præsertim  
verbo, multis testimoniis in Catilinam Sallustij produ-  
ctis, demonstrat Ald. Manut. Ipse quidem Sallustius  
in suis libris hæc habet. Mansuetudo in superbiam, do-  
minationemq; conuertit. Nā ista vobis mansuetudo, &  
misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet.  
Benefacere iam ex consuetudine in naturam vertit. Se-  
cundæ res in miserationem ex ira vertunt. Cicero. Sed  
hoc vitium in bonum ei vertebat. Tacit. lib. 3. Annal.  
Postquam cædibus sauitum, & magnitudo famæ exitio  
erat, cæteri ad sapientiam conuertere. Cæsar lib. 3. belli  
ciuil. Detrimentum in bonum verteret. Lilius lib. 10.  
Auspicia in bonum verterunt. Et lib. 9. decad. 4. Mores  
quidem populi Rom. quantum mutauerint, vel hic di-  
es argumento erit. Et lib. 8. belli Punici 2. Non septies  
in die, sicut fama fert, temporibus statutis reciprocatū.  
Sueton. Quoties terra in vrbe mouisset. Virgil. lib. 1.  
Æneid. nox humida celo præcipitat. Et lib. 2. accingunt  
omnes operi. Rursus lib. 1. Tum prora auertit. Lege  
cætera.

STANT CIRCVMFVSA PRVIN. CORP.) Feræ  
item agrestes, apri, cerui, ipsiq; adeo immanes vri, ni-  
uibibus ac pruinis continenter decidentibus cincti, ac cir-  
cumfusi, sic vulgò obruuntur, vt vix summis extent cor-  
nibus.

CONFERTOQVE AGMINE CERVI) Quoni-  
am animal congregabile, siue sociale ceruus. Itaq; & 1.  
Æneid.

--- tres littore ceruos

*Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur  
Atergo: & longum per valles pascitur agmen.*

Miror tamen, si semper ibi hyems, nullæ vnquam her-  
bæ, quomodo pecudes, & boues, & cerui vel ibidem a-  
liquando visantur, & quo tandem pabulo alantur. An  
hoc de herbis tale est, quale de ceruis in Africa? &

HOS NON IMMISSIS) Istarum regionum in-  
colæ feras non more aliarum gentium, sed alio quodam  
capiunt, & interficiunt. Montem niuis accipe, quem co-  
nantur perrumpere, sed non possunt.

PVNICEÆVE AGIT. PAVID. FOR. PEN.) De  
punicea penna, qua terrentur, agitanturq; feræ, &  
in retia compelluntur, differendum est, quod ad illu-  
strandum valeat. Plutarchus in præceptis connubiali-  
bus, qui elephantis se admouent, vestem claram non  
gestant: nec puniceam, qui tauris: quod huiusmodi co-  
loribus illa animalia maximè efferantur: sicut tigres in  
E tantum aguntur furorē sonitu tympanorum, vt semet-  
ipsas dilanient: feles olfactu odoramentorum pertur-  
bari, & furere traditur. Idem porro Plutarch. lib. de  
fortuna Alexandri: liquidius etiamnum tauros phœni-  
ceis irritari, efferariq; scribit, elephantēs verò albis.  
Verum, vt ex nostris item litteris hæc doctrina corro-  
boretur, apud Senecam lib. 3. de Ira reperio, Quod ac-  
cidere vides animalibus mutis, idem in homine depre-  
hendes, friuolis turbantur, & inanibus. Taurum color  
rubicundus excitat: ad vmbra aspīs exsurgit: vfos le-  
onesq; mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac ra-  
bida sunt, consternantur ad minima. Porro & ceruos  
rubra pennæ aspectu terri, nonne & Aufonius com-  
probat illis versibus?

An cum

An cum fratre vagos dumeta per auia cervos  
Circundas maculis, & multa indagine pinna?

Sed & Ouid. Metamorph. 15. Nec formidatis cervos in-  
cludite pennis. Quin & Lucanus. sic dum pavidos formidi-  
ne cervos Claudat. odorata metuentes aera penna. Odora-  
tas ait, quoniam à plerisque, & præsertim Insubribus, v-  
stulari solebant. Seneca etiam lib. 1. de Clementia, cap. 12  
Si feras, inquit, linea & penna conclusas contineas, iu-  
beasq; telis incesse, tentabunt fugam per ista quæ fuge-  
rant, proculcabuntque formidinem. Infrà aliis ex eod-  
dem locus proferetur. Hoc ipsum & D. Hieronymus  
innuit in Luciferiani, & Orthodoxi dialogo. Et pau-  
dorum more cervorum, dum pennarum euitatis vola-  
tus, fortissimis retibus implicamini. Rhodigin. lib. 16. B  
cap. 11.

Formido, vt docet Turneb. lib. 5. cap. 5. in venati-  
one lineam significat, vario plumarum nexu discolorum  
qua terrentur apri, vulpes, lupi, vrsi, sed potissimum cer-  
ui. In ea alternus textus plumarum, sed vulturis, &  
cygni præcipuè laudatur. Sed & interdum sandyce fuca-  
batur. Dicitur & linea. Nemesian. lib. 1. Cyneger.

Linea quin etiam magnos circundare saltus

Qua possit, volucresq; metu concludere prædas,

Digerat innexas non vna ex alite pennas.

Namq; vrsos, magnosq; fues, cervosq; fugaces

Terrificant, liniq; vetant transcendere septum.

Etiam lib. 4. de venatione Oppianus δειμαλέην μήενδον,  
id est, lineam formidolosam appellat, & δειμα πολίχρον,  
id est, formidinem multicolorem.

De hac linea, & de pennis istis loquitur Seneca lib.  
2. de Ira cap. 12. Nec ideo iram quisquam magnam putet,  
quia formidini est: quoniam quædam etiam contemp-  
tissima timentur: venena, & ossa mortifera, & morsus.  
Nec est mirum, cum maximos ferarum greges linea  
pennis distincta contineat, & in insidias agat: ab ipso ef-  
fectu dicta *Formido*. Paucis interiectis. Sic itaq; ira me-  
tuitur, quomodo umbra ab infantibus, à feris rubens  
pinna. \* Seneca Tragicus.

Picta rubenti linea pinna,  
Vano cludat terrore feras.

De hac iterum 12. Æneid.

Inclusum veluti si quando flumine nactus  
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ  
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Et 5. Fast. pavidos formidine cervos Terret. Genus quoddam retis  
erat formido, eo comparatum, ut id effugere cupientes fera, in ve-  
ros casses inciderent. Multa de eo accuratè, ut solet, ac plenè Delvius  
noster, Commentar. in Hippolytum Seneca, pag. 159. quem legere  
tibi integrum est.

GRAVITER Q. RVDENTES) Rudere asinorum  
est proprium: cervos, & onagros glocitare ait, qui poc-  
ma de philomela fecit.

IPSI IN DEFOSsis SPEC.) Ipsi specus subterra-  
neos aperiant, eosque fimo onerant, suffugium hyemi,  
& receptaculum frugibus. Ibi totos dies otiosi, iuxta fo-  
cum, atque ignem agunt: & noctem cum die ludendo,  
atque potando continuant. Genti vniuersæ potus hu-  
mor est ex fermento, atque acidis sorbis, in quandam  
similitudinem vini paratus. Phryges olim, & Troglody-  
tæ sub effossis tumulis, Balceas in saxis concavis, cuni-  
culis ad corporis magnitudinem dimensis, alij ex vlu-  
palustri latibula intexuerunt. Marforum gens specus in-  
fodiunt montibus, in quos se, coniuges, & liberos rece-  
prant. Æthiopes, & Indorum magna pars subterraneas  
domos habent, Alex. ab Alex. lib. 5. ca. 24. ibid. Tiraquell.

OTIA AGVNT) Huiusmodi otium est, de quo  
2. Georg.

Ipse dies agitat festos: fususq; per herbam,  
Ignis ubi in medio, & socij cratera coronant.

A ΡΟC.FER.A.ACIDIS) De potionum generibus  
è frumento, scripsit eruditum cap. 12. li. 2. Adrian. Iunius.  
De quatuor sorbi generibus Plin. lib. 16. cap. 21. Osiris, si  
qua regio vitibus inepta esset, docuit ex hordeo po-  
tum fieri, haud multum virtute gustuque vino inferi-  
orem. Diodor. lib. 1. cap. 2. Idem lib. 5. cap. 9. in maiore  
parte Gallia tantum esse frigus, vt neque vinum ea re-  
gio, neque oleum producat. Quare coacti homines po-  
tum sibi ex hordeo comparant, quem appellant zy-  
thum. Vino præter modum adeo delectantur, vt à mer-  
catoribus importatum, purum bibant: nimioque potu  
ebrij, aut in somnum incidant, aut insaniam. \* Fertur e-  
pigramma Iuliani Imp. eis óνον δὲ πὸ κραιδῆς, quod cum mea conuersio-  
ne subiungam.

Τίς; πὸ δέν εἰς δόνουσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα βάλχρον,

Οὐδ' ὀπιγυγάσκω τὸν διδὸς ὄδα μόνον.

Κεῖν ὀ νέκταρ ὀδωδὲ, σὺ δὲ τρεῖζον. ἢ ῥά σε κελτοῖ

Τῆ πενή βοτρυῶν τεύξαν ἀπ' ἀσυχῶν.

Τῶ σε χρὴ καλεῖν δημήτειον, ἢ δόνουσον.

Πνευγενῆ μᾶλλον, καὶ βέζμον, ἢ βέζμιον.

Bacche quis? aut unde es? tibi Bacchum iuro per ipsum,

Te minime noui, sed Ioue nosco satum.

Tu hircum, is nectar olet: nimirum Gallica tellus

Te flaua è spica vitis inops genuit.

Dicamus te iugur Cerealem, non Dionysum:

Spicigenam potius, & Bromon, haud Bromium.

SEPTEM SVBIECTA TRIONI) Vulgus Gram-  
maticorum Septentriones à solo numero stellarum  
dictum putat. Triones enim per se nihil significare a-  
iunt, sed vocabuli esse supplementum, sicut in eo, quod  
Quinquatrus dicamus, quod quinque ab Idibus die-  
rum numerus sit, atrus nihil. Sed ego quidem cum  
Lælio, & Varrone sentio, qui triones rustico vocabu-  
lo boues appellatos scribunt, quasi quosdam terio-  
nes, hoc est, arandæ colendæque terræ idoneos. Ita-  
que hoc sidus, quod à figura, posituraque ipsa, quia  
simile plaustrum videtur, antiqui Græcorum ἀμαξαν di-  
xerunt, nostri quoque veteres à bubus vinctis septen-  
triones nuncuparunt, id est, à septem stellis, ex qui-  
bus quasi iuncti Triones figurantur. Addit etiam  
Varro, dubitare sese, an propterea magis hæ septem  
D stellæ Triones appellatæ sint, quia ita sunt sitæ, vt ter-  
næ stellæ proximæ quæque inter sese faciant trigonas,  
id est, triquetras figuras. Ex his duabus rationibus,  
quas ille dixit, quod posterius est, subtilius, elegantius-  
que visum est. Intuentibus enim nobis in illud, ita pro-  
pmodum res erat, vt ea forma esset, vt triquetra vide-  
retur. Gell. lib. 2. cap. 21.

GENS EFFRÆNA VIRVM) Consueuerunt ve-  
teres tertium nomen duobus substantiis aptum, sæpe  
tribuere illi, cui minus ex vi ipsa conuenit, idque vel  
elegantia, vel versus, vel vtriusque rei causa. Ergo  
gens effræna virum, pro gens effrænorum virorum.  
Lucret. lib. 1.

Detulit (Ennius) ex Helicone perenni fronde coronam,  
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Et lib. 2. Et varias hominum gentes, & sacra ferarum. Mar-  
tialis. Pierios differ cantusq; chorosq; sororum. Et antiquus  
poeta apud Cicer. Ubi inuuantur gentes orarum vltima.  
Gifan. in Lucret.

RIPHÆO TVNDITVR EVRO) ῥίφῆν est impe-  
tus: unde Scythiæ montes Riphæi dicuntur, quia  
hinc magnus ventorum impetus. Eurum pro ven-  
to posuit, notissima figura: hic enim ventus Aquil-  
lonius, non orientalis necessariò accipiendus est.

FVLVIS SETIS) Pellibus: metonymia adiuncti  
pro subiecto. Est autem periphrasis rhenonis, id est, ve-  
stis pelliceæ.

- 385 Si tibi lanicium curæ, primùm aspera sylua,  
Lappæq; tribuliq; absint: fuge pabula læta.  
Continuoq; greges villis lege mollibus albos.  
Illum autem (quamuis aries sit candidus ipse)  
Nigra subest vdo tantùm cui lingua palato,  
Reijce: ne maculis infuscet vellera pullis  
390 Nascentum, plenoq; alium circumspice campo.  
Munere sic niueo lanæ (si credere dignum est)  
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit,  
In nemora alta vocans: nec tu aspernata vocantem.  
At cui lactis amor, cytisum, lotosq; frequentes  
395 Ipse manu, falfasq; ferat præsepibus herbas.  
Hinc & amant fluuios magis, & magis vbera tendunt:  
Et falis occultum referunt in lacte saporem.  
Multi iam excretos prohibent à matribus hœdos,  
Primaq; ferratis præfigunt ora capistris.  
400 Quod surgente die mulsere, horisq; diurnis,  
Nocte premunt: quod iam tenebris, & sole cadente,  
Sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)  
Aut parco sale contingunt, hyemiq; reponunt.

**LANICIUM**) Non tam curam lanæ significat lanicium, quam lanati pecoris, quod ex Arnob. apparet lib. 1. sic scribente. Nunquid in culpa natura est, quod laniciis extulit importunissimam belluam? lupum intellige, infestum ouibus. Iterum, Lanicia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari. Turneb. lib. 15. cap. 21.

Columella lib. 7. cap. 3. Sequeris autem noualia non solum herbida, sed quæ plerumq; vidua sunt spinis: vramurq; sæpius auctoritate diuini carminis, *Si tibi lanicium cura*, &c. quoniam ea res, vrait idem, scabras oues reddit: *cum tonsis illatus adhesit sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres*: tum etiam quotidie minuitur lana, quæ quanto prolixior in pecore crescit, tanto magis obnoxia est rubis: quibus veluti hamis inuncata, à pascentium tergoribus auellitur: molle pecus etiam velamen quo tegitur, amittit: atq; id non paruo sumptu reparatur. Hæc ille.

**FUGE PABULA LÆTA**) Pabula cum apud nostrum vatē, tum apud Lucret. per sepe hoc epitheto læta, afficiuntur. Dixit tamen pinguis i. Georg. *Et pabula terra Pinguis concipiunt*.

**GREGES VILLIS MOLLIBUS ALBOS**) Formam bonæ & probatæ ouis describit his verbis Varro lib. 2. ca. 2. Ouem esse oportet corpore amplo, quæ lana multa sit, & molli, villis albis, & densis toto corpore, maximè circum ceruicem, & collum: ventrem quoq; vt habeat pilosum. Itaq; quæ id non haberent, maiores nostri apicæ appellabant, ac reiciebant. Columell. lib. 7. cap. 2. quod est de ouibus emendis. Ergo duo genera sunt ouilli pecoris, molle, & hirsutum. Sed in vtroq; vel emendo plura communia, quædam tamen sunt propria. Communia in emendis gregibus ferè illa, si candor lanæ maximè placeat. Nunquam candidissimos mares legeris, quoniam ex albo sæpe fuscus editur partus, ex erythræo, vel pullo nunquam generatur albus.

**QUAMVIS AR. SIT CAND.**) Et arietem optimum ex Varronis eod. lib. & capite depingemus. Si sit fronte lana vestitus bene, tortis cornibus, pronis ad rostrum, ra-

uis oculis, lana opertis, auribus amplis, pectore, & scapulis, & clunibus latis, cauda lata & longa. Animaduertendum quoq; linguæ nigra, aut varia sit: quod ferè qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos. Sic autem Columell. lib. 7. c. 3. Itaq; non solum ea ratio est probandi arietis, si vellere cædido vestitur, sed etiam, si palatum atq; lingua concolor lanæ est. Nam cum hæ corporis partes nigrae, aut maculosæ sunt, pulla, vel etiam varia nascitur proles, idq; inter cætera eximiæ talibus numeris significauit Virgil.

*Illum autem, quamuis aries sit candidus ipse,  
Nigra subest vdo tantum cui lingua palato,  
Reijce, ne maculis infuscet vellera pullis  
Nascentum.*

**B** Et post pauca: Habitus autem maximè probatur, cum est altus atque procerus, ventre promisso, atque lanato, cauda longissima, densiq; velleris, fronte lata, testibus amplis, intortis cornibus, non quia magis hic sit vtilis (nam est melior mutilus aries) sed quia minimè nocet. Intorta potius, quam surrecta, & patula cornua. Ibidem lepida quædam subtexuntur, de superbia & petulantia cornuti arietis. Consentanea dictis de forma ouis, & arietis traduntur à Palladio lib. 8. tit. 4.

**MUNERE SIC NIVEO LANÆ**) Omnino talis debet esse aries candore, qualem Lunæ (si fabulas audire volumus) à Pane, vel, vralij, ab Endymione dono datum fuisse perhibent, cum ille oues pasceret, & in suam amorem Lunam pelliceret. Macrobius Saturna. lib. 5. scribit hanc fabulam sumptam esse de Nicandro, cuius τὰ γέγραφα desiderantur, è quibus tamen multa transtulisse Virgilium, testatur etiam Quintilianus.

**AT CUI LACTIS AMOR**) Alia porro est ratio pasendarum ouium caprarumque, è quibus lactis, aut casei copiam habere volumus. Has enim pinguiori cibo alimus, & cythifos, lotosque præbemus, & herbas sale conditas præsepibus imponimus. Nam hinc & bibendi cupiditatem maiorem concipiunt, & vbera lacte copio-

piofiore distendunt, & salis insuper saporem ipso in lacte referunt. \*Ex hoc & alijs præterea compluribus locis, Virgiliū fuisse insignem medicum probare nititur Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 214. & deinceps sequentibus.

MULTI IAM EXCRETOS PROHIB.) Multi etiā studio lactis & casei, agnos, ac hœdos cum excreuerunt, à matribus summouent: & ne ab illis ad vbera admittantur, hac astutia vtuntur. Capistrum ferratis aculeis configunt, & hœdi naribus ac genis circumligant. Ea res matrem à pullo auerit, cum stimulara ictibus ab eo sauciatur. Disiunguntur à matribus agni, ait Varro libr. 2. cap. 1. & 2. quadrimestres. Quo tempore quidam matres non mulgent, quia lanæ plus ferunt, & omnino agnos plures. Summotis autem agnis, fructus lactis ex matribus non minor percipitur, ait Columella libr. 7. cap. 3.

QUOD SVRGENTE DIE MVLSERE) Lac emulsum mane, vel interdium, caseum tantum præstat, nempe qui arefcit, solidefcit, & durus perduret: lac emulsum vesperi, non modo caseum item durum, & ad ferendam vetustatem idoneum præbet: sed dat præterea nobis facultatē efficiendi lactea diuersi generis edulia, quæ postridie manè diuendantur. Hoc tibi præsentis pecuniæ emolumentum, dare non potest matutinum, quia dum coaguli tempus expectatur, ætus increbrefcit, ipsum arefcit, lucem crastinam videre non quit. Ergo quod dicit, lac mane mulsum nocte premit, intelligendum est, aptum fore ad integram pressurā, vt inde caseus aridus, & asseruandus euadat; quoniam lactea illa delicia, quæ subito venundentur, integrum, & solidum pressum non ferunt. Lac autem vespertinum, ad vtrumq; vsum valet. Nam vel summo mane in vimineis, aut iuncea va-

As in oppida portant coagulatum tantummodo: vel fatitur (si lubet) perinde atque matutinum, & pressatur, vt inde caseus solidus, & diuturnus euadat. Hæc vir doctus annotatione quadam in Calpurnium.

SVB LVCEM EXPORTANT CALATHIS) Enalage numerorum hunc locum corrumpit: sed vna litterula mutata, germanam Virgilij lectionem effeceris, (vt pro exportant, legas, exportans) tollas etiam parenthesis, quæ necessaria non est. *Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor.* Scalig. F. in Catull. Quidam exponunt hoc de duplici vtilitate mulctræ, ex caseo recenti, & inueterato.

AVT PARCO SALE CONTINGVNT) Tangere veteres pro lingere, imbuere, linere, aspergere, inficere etiam dixerunt. Lucret. lib. 1. *Contingunt mellis dulci, flauoq; liquore,* Rursum, *croci contacta colore,* Et, *musæo contingens cuncta lepore,* id est, imbuens, tingens: quomodo & tangere vlturpauit Cato. In Lucretio tamen contingere, à tingere, non tangere multi interpretantur, nec à me reprehenduntur. Sed & *contacta colore,* non, *contacta legunt.* Turneb. lib. 15. cap. 17.

Adducit Cornelij Celsi ex libr. 2. cap. 22. hoc testimonium, Maroniano geminum German. stomacho aptissima sunt, quæcunq; contacta sale modico sunt. Addamus nos Varronem, lib. 3. de re rustica. Tectorio tacta esse leui circum ostia ac fenestras, ne aqua intrare, mus, aliaue bestia possit. Eod. libr. *Quis enim ignorat, septa è materijs ita esse oportere in leporario, vt tectorio tacta sint, & sint alta?* Arnob. lib. 3. *Quisquam ne est hominum, rationis alicuius sapore contactus, qui pilos, & lanugines credat in deorum corporibus nasci?*

- 405 Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed vnâ  
 Veloces Spartæ catulos, acremq; molossum  
 Pasce sero pingui. nunquam custodibus illis  
 Nocturnum stabulis furem, incurfusq; luporum,  
 Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.  
 Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros:  
 410 Et canibus leporem, canibus venabere damas.  
 Sæpe volutabris pulsos syluestribus apros  
 Latratu turbabis agens: montesq; per altos  
 Ingentem clamore premes ad retia ceruum.

Canis species triplex est, venaticus, de quo mox, D pecuarius, & villaticus. Duo posteriora genera ad custodiam pecoris, & villæ comparantur. Columella lib. 7. cap. 12. Vnum genus aduersus hominum insidias eligitur, & id villam, quæq; iuncta sunt villæ, custodit: at alterum propellendis iniurijs hominum, ac ferarum, & id obseruat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur, idque non solum nihil agricolam iuuat, sed & auocat, desidemque ab opere suo reddit. Villæ custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, canorique, vt prius auditu maleficum, deinde etiam conspectu terreat, & quæ sequuntur, non pauca. Infra, Pecuarius canis neque tam strigosus, aut pernix debet esse, quam qui damas, ceruosque, & E velocissima sectatur animalia: nec tam obesus, aut grauis quam villæ, horreique custos: sed & robustus nihilominus, & aliquatenus proruptus ac strenuus, quoniam & ad rixam, & ad pugnam, nec minus ad cursum comparatur, &c. De pecuario Varro libr. 2. cap. 9. Canis ita

custos pecoris, vt eius, quod eo comite indiget, ad se defendendum. In quo genere sunt maximè oues, deinde capra. De eius autem habitu ista. Primum ætate idonea parandi, quod catuli & vetuli neque sibi, neque ouibus sunt præsidio, & feris bestiis nonnunquam prædæ. Facie debent esse formosi, magnitudine ampla, oculis nigricantibus, aut ravis, naribus congruentibus, labris subnigris, aut rubicundis, neque resimis superioribus, nec pendulis subtus, mento suppresso, & ex eo enatis duobus dentibus dextrâ & sinistra, paulo eminulis superioribus, directis potius, quam brochis, &c. Præterea faminas volunt esse mammosas, æqualibus papillis.

ACREM QVE MOLOSSVM) Molossi canes magni sunt & proceri, quales nascuntur in Epiro. Hora. Sat. 6. lib. 2. *simul domus alta Molossis Personuū canibus.* Lucret. lib. 5.

*Irritata canum cum primum magna Molossum  
 Mollia ricta tremunt duros nudantia dentes.*

**PASCE SERO PINGVI**) Varro. cibatus canis pro-  
pior hominis, quam ouis. Pascitur enim è culina, & ossi-  
bus, non herbis, aut frondibus. Diligēter, vt habeat ciba-  
ria, prouidendum. Fames enim hos, ad quæredum cibum  
ducat, si non præbeatur, & à pecore abducat. Nec nō ita  
panem ordeaceum dandum, vt non potius eum in lacte  
des intritum: quod eo consueti cibo uti, à pecore non  
citò desciscunt. Morticinę ouis non patiuntur carne ves-  
ci, ne ducti sapore, minus se abstineant. Dant etiam ius  
ex ossibus, & ea ipsa ossa contusa: dentes enim facit fir-  
miores, & os magis patulum, propterea quod vehe-  
mentius diducuntur mala, acrioresq; fiunt, propter me-  
dullatum saporem.

**Columella lib. 7. cap. 12.** Cibaria fere eadem sunt  
vtrique generi præbenda (villatico, & pecuario.) Nam  
si tam laxa rura sunt, vt sustineant pecorum greges, om-  
nes sine discrimine canes ordeacea farina cum sero cō-  
modè pascit. Sin autem furculo confitus ager sine pas-  
cua est, farreo, vel triticeo pane satiandi sunt, admisto  
tamen liquore coctæ fabæ, sed tepido. nam feruens ra-  
biem creat.

**NUNQ. CVSTOD. ILLIS NOCTVRN.)** Accipi-  
enda sunt de villatico proprie: tamen hoc quoque mu-  
nus pecuario tribuit Columell. Est tamen laus commu-  
nis canum, custodia videlicet. Idem ibidem. Nunc, vt ex-  
ordio priore sum pollicitus, de mutis custodibus loquar:  
quanquam canis falsò dicitur mutus custos. Nam quis  
hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, vel  
furem prædicat, quam ipse latrat? Quis famulus aman-  
tior domini? Quis fidelior comes? quis excubitor inue-  
niri potest vigilantior? quis denique vltor, aut vindex  
constantior? similia, multoq; plura commemorat Plin.  
lib. 8. cap. 40. Illud verò, *incurfusq; luporum*, ad pecua-  
rium referendum est. Subnectam pro corollario præce-  
ptum Catonis, cap. 124. Canes interdum clausos esse o-  
portet, vt noctu acriores, & vigilantiores sint. Hoc de  
villatico dictum puta.

**A TERGO HORREBIS IBEROS)** Iberos intel-  
lige abactores, prædatores, latrones. quoniam Iberi  
quondam latrocinii viuentes, pecora abigebant.

**CVRSV TIMID. AGIT. ONAG.)** En de venati-  
co cane, & venatu pastorum, siue agrestium, de quo eti-  
am lib. Georg. 1.

*Tunc laqueis captare feras, & fallere visco  
Inuentum, & magnos canibus circumdare saltus.*  
De venatico Plin. lib. 8. cap. 40. sed in venatu solertia, &  
sagacitas præcipua est. Scrutatur vestigia, atque perse-

quitur comitantem ad feram, inquisitorem loro re-  
trahens: qua visa, quam silens & occulta, quam signifi-  
cans demonstratio est, cauda primùm, deinde rostro?  
Ergo etiam senecta fessos, cæcosque, ac debiles sinu fe-  
runt, ventos & odorem captantes, prodentesque rostro  
cubilia.

Nulli onagri sunt in Italia, quibus populis videtur  
poeta artem colendi agros, & pascendi tradere voluisse,  
neque in vicinis etiam regionibus. Testatur hoc M. Var-  
ro lib. 2. de re rust. cap. 6. de Afinis loquens: cuius verba  
sunt. Horum genera duo, vnum ferum, quos vocant  
onagros. In Phrygia, & Lycaonia sunt greges multi.  
Præterea ita celeres illi sunt, vt in cursu superari nō pos-  
sint, ne à velocissimis quidem equis. Narrat hoc Xeno-  
phon lib. 1. *ἀναβάσεως*. Cum enim Græci, qui secuti fue-  
rant Cyrum minorem, cum reliquis ipsius copiis venis-  
sent in ea loca, in quibus magna vis foret horum asino-  
rum (erat autem illa Arabia) conatque essent impositi  
equis ipsos captare, facillè cognouerunt se frustra illo  
modo laborare, quia celeriores illi in cursu forent. Qua-  
re artem adhibuerunt, & plures distantibus locis positi,  
ita ipsos iam defatigatos excipiebant. Carnem vero eo-  
rum similem esse commemorat carni ceruorum. Sed  
nonnulla huiusmodi peccata inueniuntur apud lau-  
datos etiam poetas: ita namq; cupidi illi sunt ornamen-  
torum, vt non caueant, neq; magno pere reformident  
huiusmodi culpas. Est igitur hoc tale, quale illud de cer-  
uis in Africa, & de cedro in II. Æneid. Victor lib. 38. ca. 1.

**ET CANIBVS LEPOREM)** De leporibus agit  
Varro lib. 3. cap. 12. Ibidem de eius etymo. L. Ælius pu-  
tabat ab eo dictum leporem à celeritudine, quod leui  
pes esset. Ego arbitror à græco vocabulo antiquo, quod  
cum Æoles Bæotij λέποιον appellabant.

**VOLVTAB. PVLSOS APROS)** Lucret. lib. 6.

*----- nobis cænum teterrima cum sit  
Spurcicies, eadem subus hac incunda videtur,  
Insatibiliter toti vt voluantur ibidem.*

**CLAM. PREM. AD RETIA)** Premere verbum  
est venatorium. Sic in I. Æneid. *Aut spumantis apri cur-  
sum clamore prementem.* Premit feram venator, dum  
Dei canibus instat, miseramque vrget in retia: huiusce-  
modi clamores venatorios ex Xenophonte producit  
hos in Hippolytum Senecæ Delrius. *ἰὼ κύνης, ἰὼ κρηγῆ, σα-  
φῶς γε ὦ κύνης, ἔπειθε ὦ κύνης.* Io canes, io segnes, bene ὦ ca-  
nes, probè ὦ canes, instate ὦ canes. Deinde *εὐ κύνης, εὐ ὦ  
κύνης, bellè ὦ canes.* Tum *εὐ γε, εὐ γε ὦ κύνης, ἔπειθε ὦ κύνης,*  
Deniq; *ἔπαλιν, ἔπαλιν ὦ κύνης,* retrò, retrò ὦ canes.

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum,  
415 Galbaneoq; agitare graues nidore chelydros.  
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu  
Vipera delituit, cælumq; exterrita fugit:  
Aut tecto assuetus coluber succedere, & vmbrae,  
Pestis acerba boum, pecoriq; aspergere virus,  
420 Fouit humum: cape laxa manu, cape robora pastor,  
Tollentemq; minas, & sibila colla tumentem  
Deiice: iamq; fuga timidum caput abdedit altè,  
Cum medij nexus, extremaq; agmina caudæ  
Soluuntur, tardosq; trahit sinus vltimus orbes.

**DISCE ET ODORATAM STABVLIS)** Et quo-  
E diligenter, & ante omnia curandum, vt serpentibus re-  
niam docuimus cultum, curamque pecudum rectè va-  
lentium: nunc quemadmodum vitijs, aut morbo labo-  
rantibus subueniendum sit, præcipiemus. Primò autem  
in stabulis incende. Nam horum odor non patitur sta-  
bulis

bulis serpentium pestem consistere. Sape enim viperæ, & colubri tenebris assueti, & lucem exosi, in stabulis pecudum delitescunt: & cubilia sub præsepibus diu non motis, sibi deligunt. Vnde grauiissima pecudibus existunt mala: & saepe ex serpentibus contrahuntur cæci morbi: quorum causas ne medici quidem perspicere queunt. Nam venenatæ bestia, postquam semel latebras in quibus se sustentare possint, repperunt, gregem impresso morfu lædere, eique lethale virus solent aspergere. Quare lapides, & fudesprehendendæ, vt illarum iactu, & ictu noxij serpentes è medio tollantur, neq; prius à cæde, & internecione abstinendum (vt cunq; illi sibilis & lingua exerta iram comminentur) quam caput enectum sit, & cauda à reliquo corporis nexu auulsa, tardius iam moueri incipiat, aut etiam conuolui prorsus desinat.

Columella libr. 7. cap. 4. Nec tantum cœno, aut stercore, sed exitiosis quoque serpentibus tecta liberentur. Deinde hos versus Maronis recitat. Præter galbanum porro, atque cedrum, muliebres quoque capillos, aut ceruina cornua vri iubet. Huiusmodi autem tetros odoresideo sine dubio excitare conuenit, ne' saxis, & sudibus aduersum serpentes pugnando periculum magnum adeatur. Accipe super eodem præcepto versus Calpurnij eclog. 5.

*Lurida conueniet succedere galbana sepiis:  
Et tua cervino lustrare mapalia fumo.  
Obfuit iste malis odor anguibus: ipse videbis  
Serpentum cecidisse minas, non stringere dentes  
Vlla potest vncos: sed inani debilis ore  
Marces, & obtruso iacet exarmata veneno.*

MALA TACTV VIPERA) Viperam Grammatici à

- 425 Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,  
Squamea conuoluens sub lato pectore terga,  
Atq; notis longam maculosus grandibus aluum:  
Qui, dum amnes vlli rumpuntur fontibus, & dum  
Vere madent vdo terræ, ac pluuiialibus Auftris,  
430 Stagna colit: ripisq; habitans hic piscibus atram  
Improbis ingluuiem, ranisq; loquacibus explet.  
Postquam exhausta palus, terræq; ardore dehiscunt,  
Exilit in siccum: & flammantia lumina torquens,  
Sæuit agris, asperq; siti, atq; exterritus æstu.  
435 Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,  
Neu dorso nemoris libeat iacuisse per herbas:  
Quum positis nouus exuuiis, nitidusq; iuuenta  
Voluitur, aut catulos tectis, aut oua relinquens  
Arduus ad solem, & linguis micat ore trifulcis.

ILLE MALVS CALABRIS IN SALT. ANGVIS) Dundant, ripas torrentium, ac paludum obsidet, cauernasque incolit, & suam ingluuiem piscibus, & ranis explet. Æstate verò, cum iam hyberna vligine, & fermentata destituitur, solis calore omnibus locis palustribus, & torrentibus exsiccatis, ipsa sitibunda è latebris profilit, & quod nimio æstu, nimiaque siti torquetur, in obuia quæque grassatur, ac sæuit. Mihi certè tum non libeat sub dio somnum carpere, aut in eodem cliuo per herbas, & gramina prostrato iacere. Nam natrix deposita leberide, cum iam senectutem exuit, ac reiuuenescit, & pullis, aut ouis intra cauernas relictis, capite elato, lingua exerta, in campo promicat, mortem, lethiferamq; noxam mihi inferat.

Contra

vi dictam tradunt, quod vi pariat. Ego viperam dici puto, quasi viuiperam, quod sola ferè in serpentum genere, non ouum, sed animal pariat, id quod eleganter docuit his versibus Nicander.

*Οἷν γὰρ βαρύνει ὑπὸ κλύματα. τοὶ δὲ καὶ ὕλην  
Ὡς ὀτόκοι ὄφεις λεπυρὴν δάλτυσι γενέθλην.  
Sola etenim fœtu grauida est, cum cætera in altis  
Ovipara excludant testacea piguora syluis.*

Canter. lib. 6. cap. 16.

Viperam autem marem à fœmina, capite in os eius inserto, atq; abroso necari, tam nugatorium est, quam eius bestia catulos, adeso matris vtero, ac lateribus, paternæ necis vindices in lucem erumpere.

TECTO SVCCEDERE, ET VMBRÆ) Et lib. 4. Georg. atq; alto succedere celo. Æneid. lib. 4. Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? & alibi. Lucret. lib. 5. Quod simulac primum nubes succedere soli Cœpere, id est, subire solem, seu succedere sub solem. Sic enim loquitur Cæsar lib. 1. bell. Gall. ipsi confertissima acie, reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam aciem nostrâ successerunt. Idem li. 2. testudine facta portis succedunt, murum subruunt. Ex Lamb. in Lucret.

TIMIDVM CAPVT ABDIDIT ALT.) Mirè cum hoc loco congruit illa comparatio de serpente, quæ est 2. Æneid.

*Qualis sepe via deprensus in aggere serpens,  
Ærea quem obliquum rota transit, aut grauis ictu  
Seminecem saxo liquit, lacerumq; viator,  
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus.*

Addit præterea German. Apollonij versus ex lib. 4. de dracone, ad illustrandum fati aptos.

AGM. CAVDÆ) Orbes, & nexus.

Contra hos igitur venenatos, & iracundos angues, non A  
secus muniendum est pecus, atq; contra illos, qui domi  
sub præsepibus, atq; intra septa latitant. Et hæc quidem  
sunt, quæ pastorem præcauere oportet, ne noxam affe-  
rant. Alia mala sequuntur, quæ ubi iam pecudem inuase-  
runt, agricolæ auertenda, & remediis depellenda erunt.

CVM POSITIS NOVVS EXVIIIS) Lucret. lib.  
3. *vestemq; relinquere, ut anguis Gauderet, prælonga senex  
ut cornua cernuus, Lib. 4. cum lubrica serpens Exiit in spi-  
nis vestem.* Tibul. lib. 1. eleg. 4. *Crudeles diui, serpens nouus  
exiit annos.* Ouid. *Anguibus exiit tenui cum pelle se-  
nectus.* Placidus Grammat. Reduuiæ dicuntur spolia fer-  
pentum, quibus quotannis senescētes sese exuunt, quasi  
quibus exuti in iuuentutem redeunt. Dicuntur enim

- 440 Morborum quoq; te causas, & signa docebo.  
Turpis oues tentat scabies, ubi frigidus imber  
Altius ad viuum perfedit, & horrida cano  
Bruma gelu: vel cum tonsis illotus adhæsit  
Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vepres.
- 445 Dulcibus idcirco fluuiis pecus omne magistri  
Perfundunt: vdisq; aries in gurgite villis  
Mersatur, missusq; secundo defluit amni.  
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,  
Et spumas miscent argenti, viuaq; sulphura,
- 450 Idæasq; pices, & pingues vngvine ceras,  
Scyllamq; helleborosq; graues, nigrumq; bitumen.

TVRPIS OVES TENT. SCAB.) Ad euitandam B  
scabiem, supra solum ouilium sterni iussit: *glacies ne fri-  
gida ladat. Molle pecus, scabiemq; ferat.* Scabies est  
durior cutis rubicunda, ex qua pustulæ oriuntur, quæ-  
dam humidiores, quædam duriores, quædam siccores:  
exit ex quibusdam sanies, fitq; ex his continuata exul-  
ceratio pruriens. Celsus lib. 5. cap. 28.

VBI FRIGID. IMBER) Quatuor causas ponit  
Virgilius, ex quibus scabiem oues contrahunt, imbrem  
frigidum altius in corpus penetrantem, frigus, æstum  
sudorificum, laniatum à vepribus. Columella lib. 7. &  
has, & alias plures, & signa nihilominus morbi huius  
iam adepti, quæ prætermisit Virgilius. Oues, inquit, fre-  
quentius, quàm vllum aliud animal infestatur scabie,  
quæ ferè nascitur, sicut noster memorat poeta, *cum fri-  
gidus imber Altius ad viuum perfedit, &c.* Vel post ton-  
suram, si æstium sudorem mari, vel flumine non ab-  
luas: si tonsum gregem patiaris syluestribus rubis, ac spi-  
nis lauari: si stabulo utaris, in quo mulæ, aut equi, aut  
asini steterunt: præcipue tamen exiguitas cibi maciem,  
macies autem scabiem facit. Hæc ubi caput irreperit, sic  
intelligitur: vitiosum locum pecudes aut morsu scal-  
punt, aut cornu, vel vngula tundunt, aut arbori adfricant,  
parietibusq; detergent. Scabiem, inquit Cato cap. 5.  
pecori, & iumentis caueto. Id ex fame, & si impluit fie-  
ri solet.

Sequitur de his rebus Varronis sententia, lib. 2. cap. D  
1. Ferè morborum causæ erunt, quod laborant propter  
æstus, aut propter frigora, nec non etiam propter nimum  
laborem, aut cõtra, propter nullam exercitationem, aut  
si, cum exercueris, statim sine interuallo cibum, aut po-  
tionem dederis. Signa autem sunt, ut eorum, qui siue ex  
æstu, siue è labore febrem habent, adaperitum os humi-  
do spiriturebro, & corpore calido. Quid faciendum au-  
tem, ne oues scabræ euadant, traditur à Catone cap. 96.

induuiæ, exuuiæ, reduuiæ. Repetuntur hi versus, & hæc  
sententia 2. Æneid. ubi Pyrrhus animosus adolescens ta-  
li serpenti comparatur. Proinde ibi plura lege, si placet.  
De ista porrò serpentum renouatione Plin. lib. 8. cap. 27.  
Anguis hyberno situ membrana obducta, fœniculi suc-  
co impedimentum illud exiit, nitidusq; vernat. Exiit  
autem à capite primùm, nec celerius quàm vno die &  
nocte replicans, ut extra fiat membrana, quod fuerat in-  
tus. Idem hyberna latebra visu obscurato, marathro her-  
bæ sese affricans, oculos inungit ac refouet. Si verò squa-  
mæ obtorpuere, spinis iuniperi sese scabit.

LINGVIS MICAT ORE TRISVL.) nihil aliud  
est, quàm linguam subinde motitando exertat, ut Ger-  
man. exponit. Vide 2. Æneid. *Iubæq; Sanguinea.*

DULCIBVS ID. FLVVIIS. P. O. MAG.) Dulcis  
aqua fluuiorum, & fontium, ac puteorum etiam: salsa  
maris. De magistris pecorum allata testimonia complu-  
ra Eclog. 2. *Pan curat oues, ouiumq; magistros.*

MERSATVR) Vide 1. Georg. *Balanumq; gregem  
flumio mersare salubri.* Et Eclog. 9. Dametas etiam capel-  
las se loturum ait, ob eandem causam fortasse. *Ipsè ubi  
tempus erit omnes in fonte lauabo.*

AUT TONSVM TRISTI CONTINGVNT) Co-  
lumella lib. 7. cap. 5. agit de medicinis ouilli pecoris. Fa-  
cit autem commodè, inquit, si ad fæcem & amurcam,  
succumque decocti lupini misceas portione aqua detri-  
tum album elleborum. Potest etiam scabritiem tollere  
succus viridis cicutæ, quæ verno tempore, cum iam  
caulem, nec adhuc semina facit, decisa contunditur, at-  
que expressus humor eius, fistili vase reconditur, &c.  
Infra. Deinde singularibus tritis, & picis liquidæ, & fricti  
salis singulos sextarios infundunt: facit etiam sulphuris  
triti, & picis liquidæ modus æqualis igne lento coactus.  
Varro lib. 2. cap. 1. Curatio autem, cum hic est morbus,  
hæc. Perfunditur aqua, & perungitur oleo, & vino tepe-  
facto: & item cibo sustinetur, & iniicitur aliquid, ne fri-  
gus lædat: sitienti, aqua tepida datur. De verbo contin-  
gere, habes supra, ad illa, *aut parco sale contingunt.*

AMVRCA TRISTI) Oliuæ constant nucleo, o-  
leo, carne, amurca: sanies hæc est eius amara, inquit Plin.  
lib. 15. cap. 3. Super omnia autem celebravit amurcam  
laudibus Cato. Dolia olearia, cadosque illa imbui, ne  
bibant oleum. Amurca subige areas terendis messibus,  
ut formicæ rimæque absint. Quin & lutum parietum,  
ac tectoria, & pauimenta horreorum frumenti, vestiari-  
um etiam contra teredines, ac noxia animalia, amurca  
aspergi: semina frugum perfundi: morbos quadrupe-  
dum, arborum quoque illa medendum, efficaci ad vlce-  
ra interiora, humani quoque oris, &c.

VIVAQVE SVLPHVRA) Ita vetustiora exemplaria, non, ac sulphura vina, quomodo in multis hodie libris legitur, & Seruius, ac Macrobius. *δαυτολιως* legunt. Tale illud in 6. *quin protinus omnia Perlegerent oculis*, quæ nostri Grammatici ferè omiserunt. Sunt ergo versus dactylici, quoniam in vltima sede habent dactylum, ut spondaici, qui spondeum in quinta obtinent. Grammatici etiam hypermetros vocant. In huiusmodi versibus Homerum secutus est Virgilius, pari que licentia & acephalos, & longiusculos, delitiisque profluentes imi-

Atatus est, ut Macrobius docet. Crinit. lib. 24. cap. 7. Rhodigin. lib. 26. cap. 10.

IDÆASQVE PICES) Ida Phrygiæ mons, pinis frequens. Pinus autem picis, & resinæ ferax.

SCILLAMQVE) Vulgus cum Varrone squillam vocat. Nobilissima bulborum medicamini præcipue nata, acetoque exacuendo. De tribus eius generibus consule Carol. Steph. in Horto.

HELLEBOR. GRAY.) Helleborus, aut hellebori aliud est candidum, aliud nigrum. Videndus. Pli. lib. 25. cap. 5.

Non tamen vlla magis præsens fortuna laborum est,

Quàm si quis ferro potuit rescindere summum

Vlceris OS. ALITVR VITIVM, VIVITQVE TEGENDO;

455 Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor  
Abnegat, & meliora Deos sedet omina poscens.

Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa

Cùm furit, atq; artus depascitur arida febris:

Profuit incensos æstus auertere, & inter

460 Ima ferire pedis salientem sanguine venam:

Bifaltæ quo more solent, acerq; Gelonus,

Cùm fugit in Rhodopen, atq; in deserta Getarum,

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Quam procul aut molli succedere sapius umbræ

465 Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,

Extremamq; sequi, aut medio procumbere campo

Pascentem, & seræ solam decedere nocti:

CONTINVO CVLPAM FERRO COMPESCE, PRIVS QVAM

DIRA PER INCAVTVM SERPANT CONTAGIA VVLGVVS.

470 Non tam creber agens hyemem ruit æquore turbo,

Quàm multæ pecudum pestes. nec singula morbi

Corpora corripunt: sed tota æstiuæ repente,

Spemq; gregemq; simul, cunctaq; ab origine gentem.

Tum sciat, aërias Alpes, & Norica si quis

475 Castella in tumulis, & Iapidis arua Timai

Nunc quoq; post tantò videat, desertaq; regna

Pastorum, & longè saltus, lateq; vacantes.

FERRO RESCIND. VL. OS) Vltimum ac præcipuum scabiei remedium. Laudat hoc consilium poeta Columella lib. 7. cap. 5. & præstantiorem medicinam vocat, hæc addens. Itaq; rescindendum est, & vlceris medicamentis curandum.

ALIT. VIT. VIVITQVE TEG.) Lucret. *Vlcus enim vinefcit, & inueterascit alendo*, dum alitur. Sic tegendo, dum tegitur. Suprà, *uritq; videndo*, dum videtur. Hoc ad mores tractum, docet nos, obstandum principiis; seram quippe medicinam parari, cum malum, & improbitas iam inueteravit. Multò celeriora vitiorum, quàm virtutum incrementa experimur.

SEDET OMINA POSCENS) De verbo *sedere* diximus quædam, & non vulgarem quandam eius notionem ostendimus in illud 12. *Æneid. sedeant, spectentq; Latini*. quæ quidem omnia ad hunc, similesq; locos accommodabis. Legendum verò *omina* pro *omnia*, contra vulgatos codices, Canter. docet lib. 1. c. 8. hoc etiam versu inter alios multos prolato in medium. Et sanè frequenter in hac voce apud poetas peccatum est. Peccati causa, quæ

innumera mæda creavit, literarum ordo peruersus, quæ admodum si pro visius, suscipere pro suspicere facias.

DOLOR BALANTVM) Balantes à balatu. Ouium autem proprium est balare, ut anserum stridere, luporum vlulare, &c. Balantum gregem nominavit i. Geotg. Lucret. Balantum pecudes. Spartian. in Antonino Geta. Familiare illi fuit has quæstiones Grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut, agni balat, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, eosque de veteribus approbare. Extat item carmen de vocibus animalium, quod vulgò Nafoni adscribitur.

INTER IMA FERIRE PEDIS) Columella. subiicit deinde (Virgilius) æque prudenter, febricitantibus ouibus de talo, vel inter duas vngulas sanguinem emitti oportere. Nos etiam sub oculis, & de auribus sanguinem detrahimus. Varro, si hoc genus rebus non proficitur, dimittitur sanguis, maximè e capite.

**ET LAC CONCRETVM**) De Concanis Cantabriae A mari, cum tempestas ingruit. Nec singulas oues singuli morbi inuadunt: sed frequenter vniuersum pecus, & omnis soboles simul ægrotat.

Qui ditissimi erant, inquit Turneb. libr. 12. cap. 14. suo pecori saltus hybernos, & æstiuos habebant: pecuarij quoque qui non possidebant saltus, tamen pecus proficentes (alioqui lege censoria commissuri) & scripturam soluentes publicano, in alijs æstiuis, & hybernjs pecus pascebant. Varro lib. 2. de re rust. cap. 1. Itaque greges ouium longe abiguntur ex Apulia in Samnium æstiuatum, atque ad publicanum proficuntur, ne si inscriptum pecus paucierint, lege censoria cõmittant. Iterum, quod accidit iis, qui per colles syluestres longinquos solent comitari in æstiuia, & hyberna. Ergo æstiuia Maroni figuratè pecus pasceus in æstiuis, id est, in pascuis æstatis.

**QUAM PROCVLAVT MOLLI**) Signa & indicia ouis febris correpta, & de remedio, missione sanguinis videlicet. Sunt autem signa quinque.

**CONTINVO FER. CVL. COMPESCE, &c.**) Mala, quæ ad publicam pestem serpunt, non tantum vinculis & carcere, sed ferro etiam coercenda sunt. Et in eo se magistratus vindices præbere accerrimos debent, qui non frustra gladium portant: sed ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Hic erit allegoricus horum versuum vsus.

**DIRA CONTAGIA**) Dirum est triste, infestum, & quasi deorum ira immisissum. Sic Æneid. libr. 4. *ultricesq; sedent in limine Diræ.* Cic. de Senect. Intelligi potest ex his fratribus, qui in Adelphis sunt, quanta in altero diritas, in altero comitas. Nonius.

**NON TAM CREBER AGENS**) Diligenter providendum, & maturimè succurrendum febricitantibus, ne quod maius inde malum existat. Morbi certè quibus pecudes infestantur, plures sunt, quam fluctus in

**TVM SCIAT AERIAS ALPES**) Quemadmodum in Alpibus, & Norico, atque Venetia iam olim accidit. Nam fuit quoddam tempus, cum Alpinae regionis, & Noricum, atque Venetia (si quis ea loca nouit) pecoribus referta essent. Postea vero quam has terras pestilens lues inuasisset, ibi omnes pecudes, omniaque armenta peste extincta sunt. Ac proinde etiamnum hodie, à tanto temporum interuallo, videre est illis in locis deserta pascua, saltus gregibus atq; pastoribus longe lateque vacantes.

**IAPIDIS TIMAUI**) Iapis nomen proprium Aetoli, qui in agro Veneto oppidum de suo nomine condidit: vnde regio illa, vbi Timauus fluuius est, nomen accepit. Seruius hunc in modum. Iapidis arua Timauis, id est, Venetiam. Nam Iapidia pars est Venetiae, ab Iapido oppido dicta. Sallust. primam modò Iapidiam ingressus. Huius est fluuius Timauus.

Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est  
Tempestas, totoq; autumnu incanduit æstu:

480 Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:  
Currupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Nec via mortis erat simplex: sed vbi ignea venis  
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,  
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaq; in se

485 Ossaminutatim morbo collapsa trahebat.  
Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aram  
Lanea dum niuea circundatur infula vitta  
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.

490 Aut si quam ferro maectauerat antè sacerdos,  
Inde neq; impositis ardent altaria fibris,  
Nec responsa potest consultus reddere vates:  
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri:  
Summaq; ieiuna sanie infuscatur arena.

495 Hinc lætis vituli vulgò moriuntur in herbis,  
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.  
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros  
Tuffis anhelasues, ac faucibus angit obesis.

500 Labitur infelix, studiorum atq; immemor herbæ  
Victor equus: fontesq; auertitur, & pede terram  
Crebrà ferit. demissæ aures, incertus ibidem

Sudor,

Sudor, & ille quidem moriturus frigidus: aret  
Pellis, & ad tactum tractanti dura resistit.

Descriptionem istam pestilentiae cum Lucretiana, & Ouidiana lib. 2. Metam. particulatim contulit Scaliger Poet. lib. 5. cap. 11. Lucretius autem suam lib. 6. è Thucydidis lib. 2. sumpsit, & eam cum Thucydidis frustatim comparat in Collation. suis Vrsinus. Lucretij principium tale est.

*Hac ratio quondam morborum, & mortifer astus  
Finibus Cecropius funestos reddidit agros:  
Vastavitq; vias, exhausit cinibus urbem.*

Si cui tantum est liberi temporis, & placitum, plures pestilentiae descriptiones legere, legat Senecam principio Oedipi, Lucanum lib. 6. Silium lib. 14. Manil. lib. 1. Sophoclem Oedipo Tyranno, Capitolinum in M. Antonino philosopho, Herodianum lib. 9. Ammianum lib. 19. Homer. Iliad. lib. 1. Videntur praecipui poetae, ut notavit Delrius, in hunc quasi communem artis ostentandae campum excurrisse: valde enim elaboratae sunt.

Nunc sensum quatuor priorum versuum accipe. Infecto, corruptoque aere, quod autumnalibus diebus contingere in primis solet, tam atrox lues, tamque misera animantium strages exorta est, quanta nullo prius tempore, neque vlllo loco prius saevisse creditur. Neque enim homines solum, sed etiam pecudes, tam ferae, quam domesticae communi exitio moriebantur: quippe caeli intemperie, & venenato aere tunc omnia pascua, omnes fontes depravati erant.

MORBO CAELI) Mirè, quod animalium est, ad in-  
animum trahtulit. Nihil autem est aliud, nisi quod 3. Aeneid. dicitur, ubi etiam de pestilentia coorta narratur, corrupto caeli tractu. Sic Plaut. Trinum. morbum, & mortem tribuit moribus, eadem licentia.

*Nam hic nimium morbus mores inuasit bonos:  
Ita pleriq; omnes iam sunt intermortui.*

CORRUPITQ; LACVS) Lucretius.  
*Hac igitur subito clades noua, pestilitasq;  
Aut in aquas cadit, aut fruges perdidit in ipsas:  
Aut alios hominum pastus, pecudumq; cibatus:  
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.*

NEC VIA MORT. SIMPLEX) Nec moriebantur secundum naturalem ordinem, tantum fuga animae, sed etiam corporis resolutione. Est autem Sallustij, qui ait, nec simplici quidem morte moriebatur. Expone etiam sic: Ipsum mortis genus erat cum multis malis coniunctum, & ita minime simplex, id, quod ab ipso poeta dicitur, fertè declaratur.

NIVEA CIRCVM. INF. VIT.) Infula, fascia, instar diadematis, vittis vtrinque dependentibus. Sinon de se, 2. Aeneid. cum esset pro victima moriturus. *Mihi sacra parari, Et salsa fruges, & circum tempora vitte.*

INTER CUNCT. MINISTROS) Minister in scriptis veterum poetarum, cum de sacrificiis agitur, est popa, qui victimam caedit. Dionys. ὑπὸ πύργῳ vocat. Ouid. 2. Fast.

*Nominis esse potest succinctus caussa minister,  
Hostia calitibus quo feriente cadit.*

Hac ante exitium primis dant signa diebus:  
Sin in processu cepit crudescere morbus,  
505 Tum verò ardentes oculi, atq; attractus ab alto  
Spiritus, interdum gemitu grauis: imaq; longo  
Ilia singultu tendunt: it naribus ater  
Sanguis, & obsessas fauces premit aspera lingua:

Ll 2

Profuit

A Sicilibi Ouid. Lucan. Lucret. Vide Barnabæ Brisso. Formul. Rom. lib. 1. num. 12.

NEQ; ARD. ALT. FIBRIS) Plinius ait, coreorum, qui veneno perierint, cremari non posse. Vtrum eadem ratione peste infecta cremari nequeant, considerandum est.

CONSULTVS VATES) Extispex, qui consulendis extis immolatae victimae, futurum praefagebat.

SUPPOSITING. SANG. CVLTRI) Aeneid. 6. *Supponunt alij cultros.* Vide ibi quid Turneb. dicat, & in Oedipum Senecæ Delrius. Ouid. 2. Metam. de victima, subito collapsa sine ictibus vllis *Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.*

SANIE IEIVNA) Sic appellat sanguinem concretum, & corruptum. Seneca Oedip.

*Colla tacturus steterat sacerdos  
Dum manus certum parat alta vulnus,  
Aureo taurus rutilante cornu  
Labitur segnis: patuit sub ictu  
Ponderis vasti resoluta cervix:  
Nec cruor ferrum maculavit, atra  
Turpis è plaga sanies profusa est.*

ET DVLCES ANIM. RED.) De pestilentia Cretenli lib. 3. Aeneid. *Linquebant dulces animas.* Propert. *Hanc animam extrema reddere nequitia.* Tacit. lib. 14. Annal. de eade Agrippinae. Post hanc vocem cum supremo mixtam gemitu, animam tandem post fera tristem vulnera reddidit. German.

HINC CANIB. B. RAB.) Per canes blandos forsitan catulos Melitæos significat, qui nobilibus faeminis erant in delitiis. Sed melius est generatim de canibus accipere, quo genere animalium nihil est blandius, nec do minorum amantius. [Testem producimus M. Tull. 2. de natur. deor. *Canum vero tam fida custodia, tamq; amans dominorum adulatio, tantumq; odium in externos, &c.*] De iisdem peste morientibus Lucret.

*Et moriebatur cum primis fida canum vis,  
Strata viis animam ponebat in omnibus agram.*

QVATIT AEG. T. A. SVES) Ita Catull. *Hic me grano frigida, & frequens tussis Quassavit.* Homines quoque tussis mortifera vexabat, ut Lucret. ait, *Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,  
Salsaq; per fauces rancas vix edita tussi.*

FAVC. ANG. OBESIS) Anginam innuit, quae à suis bus ἰατρῶν. Et fauces obesa, sunt tumentes.

LABIT. INFEL. VICTOR EQVVS) Sed omnium miserrima erat equorum conditio, quotquot ista lues inuaserat. Illi enim cibum, & potum fastidire, pedibus terram crebro pulsare: aures demittere, multis vicibus, sed incertis tamen, sudorem excernere, eumq; frigidum, praesertim iam morituri. Pellis arida atq; exsucca, & tactu dura, quaeq; se attrectanti resisteret.

IMMEMOR HERBAE) Sic eclog. 8. *Immemor herbarum quos est mirata iuuenca,* Musam videlicet, siue cantum pastorum Damonis, & Alphefibi.

510 Profuit inserto latices infundere cornu  
 Lenæos: ea vifa salus morientibus vna.  
 Mox erat hoc ipsum exitio: furiisq; reſecti  
 Ardebant: ipſiq; ſuos, iam morte ſub ægra,  
 (DII MELIORA PIIS, ERROREMQUE HOSTIBVS ILLVM)  
 Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

HÆC ANTE EXITIVM) Signa ſuperius dicta fe-  
 rē mortem ipſam præcedebant. Poſtquam autem mor-  
 bus inualuiſſet, & iam finis vitæ appropinquafſet, tum  
 demum oculi erant ardentes, atque inflammati: æger,  
 ac difficilis anhelitus, & interdum cum gemitu, aut ſin-  
 gultu cōiunctus: profluuium ſanguinis ē naribus, linguæ  
 aſperitas, & faucium obſtructio.

ARDENTES OCYLI) Lucret. quamquam de ho-  
 minibus.

Principio caput incenſum feruore gerebant:  
 Et duplices oculos ſuffuſa luce rubentes.

ATTR. AB ALTO SPIRITVS) Seneca Oedipo. In-  
 tima creber viſcera quaſſat. Gemitus ſtridens. Vt Virgi-  
 lius attractum ab alto ſpiritum, ſic Horat. ſublimem an-  
 helitum dixit, Ode 15. lib. 1. qui videlicet multo extrin-  
 ſecus hauſto aere, & ita dilatatis, & diductis pulmoni-  
 bus expiratur, & qui ex alto, imoque pectore ducitur:  
 quod accidere ſolet in magno corporis labore, & longo  
 curſu, vel grauiore aliqua animi cura. Lamb. in Horat.  
 [Rurſum Ode 11. Epod.]

In queis amantem & languor, & ſilentium  
 Arguit, & latere petitus imo ſpiritus.]

Idem quoque dixit, ilia ducere, epiſt. 1. lib. 5. Peccet ad  
 extremum ridendus, & ilia ducat. Lucan. Et defecta gra-  
 uis longè trahit ilia pulſus. Plin. de verbaſco. Non tuſſi-  
 centibus modo, ſed & ilia trahentibus auxiliatur. Ger-  
 man.

PROFUIT INSERTO) Non inueniebatur vllum  
 remedium, quod vrentem iuaret. Nam quod aliās  
 prodeſſe ſolebat, id in hoc genere morbi nocebat. Vi-  
 num namque in os pecudis infulum per cornu, quo ali-  
 ās morbidum pecus optimè curari ſolet, & in quo vnico  
 fere omnem ſpem ſalutis magiſtri repositam habebant,  
 adeo nihil auxiliij contra hanc luem afferebat, vt malum  
 etiam augetet. Nam vino inflammati equi, in ſua mem-  
 bra ſæuiebant: & (quod ego malum vix hoſtibus im-  
 precer) ſub ægra morte ſuis dentibus ſuos ipſimet artus  
 dilaniabant.

CORNV) Infundibulum, fiſtulam vocat Colu-  
 mella.

LATICES LENÆOS) Periphrasiſ vini. Nimirum  
 ipſe Bacchus Lenæus. Georg. 2. Huc pater ò Lenæe veni.  
 Æneid. 1. Regales inter menſas, laticemq; Lyæum. Et lib. 4.  
 Gens epulata toris Lenæum libat honorem.

ERAT HOC IPSVM EXITIO) Lucret.

Nec ratio remedi communis certa dabatur.

Nam quod aliis dederat vitales aeris auras

Voluere in ore licere, & cali templa tueri,

Hoc aliis erat exitio, lethumq; parabat.

DII MELIORA PIIS) Eſt optandi formula, per  
 apoſiopheſin, plena affectus, & enargiæ. Cic. 4 in Anton.  
 Dij meliora: id enim ipſum agimus, ne quis poſthac e-  
 iuſmodi quidquam audeat polliceri. Ouid. epiſt. Hele-  
 nes. Dij melius ſimilis non fuit ille tui. Idem Metamorph.  
 procul ò procul omnia dixit Talia dij pellant. Et epiſtola  
 Laodamiæ ad Proteſilaum, Dij precor a nobis omen remo-  
 uerit.

Aucte ſiniſtrum. Tibull. lib. 3. Dij meliora ferant. \* Non  
 tam optandi, quam abominandi, & auerſandi formula eſt, Dij me-  
 liora. Cic. Philipp. 8. Ergo habet Antonius quod ſuis polliceatur, nos  
 numquid tale habemus? dij meliora. Liuius lib. 39. Idēbi mulier au-  
 diuit, perturbata, dij meliora, inquit. Vide Briffon. Formular. lib. 1.  
 pag. 94. & deinceps.

ERROREMQUE HOSTIBVS ILLVM) Affine huic  
 illud 2. Æneid. quod dij prius omen in ipſum conuertant. Et  
 lib. 8. Dij capiti ipſius generiq; reſeruent. [Plurima huiusce-  
 modi collegit Briffonius lib. 1.] Quidam in hoc eodem verſu,  
 ardoremq; hoſtibus illum, pro, errorem, legi volunt: ego  
 receptam lectionem mutare non poſſum. Nam error  
 pro furore uſurpatur à Marone, vt ſupra, Eclog. 8. vt vi-  
 di, vt perij, vt me malus abſtulit error. Sæpe autem hic  
 poeta, & Lucretius errorem pro noxa, & infortunio ac-  
 cipit, vt Græci aliquando πλάτνν, & ἀμάρτημα, vt docet  
 eleganti inductione Plutarchus, lib. πειρὲς ἐνθυμίας, &c.  
 German.

A primis ortus noſtri incunabulis medullitus hau-  
 ſimus illud mali, quod libenter hoſtibus noſtris, ſi quid  
 aduerſi ſit, quantumuis dirū, & exitioſum imprecemur.  
 Viſtatiffimum proinde eſt Græcis Latinisque ſcripto-  
 ribus, cum magnum aliquod malum ſignificare, ac de-  
 ſcribere volunt, ſine longiore vlla oratione, quidquid id  
 eſt, hoſtibus precari. Sophocles Electra.

Εἰ μὲν ἀέρονεν ἐδάλα, δὲς τελεσφόρα  
 Εἰ δ' ἐχθρὸς τοῖς ἐχθροῖσιν ἐμπαλιμ μέδεις.

Cid eſt, ſi quidem bona ſunt, dato integra, & ad exitum  
 perducta: ſin inimica, & mala, ad hoſtes tranſfero. Xe-  
 nophon ἀναβάσ. γ. οἶμαι γὰρ ἂν ἡμᾶς τοῖ αὐτὰ ἂν παθεῖν, οἶα  
 εἶς ἐχθρὸς οἱ θεοὶ ποιήσειαν. Puto fore, vt talia nobis ac-  
 cidant, qualia dij immortales hoſtibus ſuis ingerant. Æ-  
 ſchylus Prometheo.

Τοῖα δ' ἐπ' ἐχθρὸς τὸς ἐμὲς ἔλθοι κῆρυς.  
 Talis Venus contingat hoſtibus meis.

Loquitur de Danai filiabus, quæ maritos ſuos prima  
 congreſſus coniugalis nocte interfecturæ eſſent. Ibid.  
 Prometheus ad Mercurium, gaudiij cuiuſdam cauſſam  
 quærentem.

Χλιδόντας, ὧδε τὸς ἐμὲς ἐγὼ ἐχθρὸς ἰδοίμι.  
 Voluptuantes ſic hoſtes videam meos.

Nicand. Theriacis.

Ἐχθρῶν πετρεῶ κείνα κερήσιν ἐμπελάσσει.  
 Hec portenta hoſtes feriant, adigantq; ſub umbras.

Talis eſt Ariſtotelis illa imprecatio apud Stobæum, ad  
 faſtuoſiorem adoleſcentem. Qualem te eſſe exiſtimas,  
 talem ego me optarim: at cuiuſmodi reuera es, τοῖτοί  
 μοι ἐχθροὶ γένοιτο, tales mihi obtingant hoſtes. Apuleius  
 lib. 2. Hoſtes, inquit, & omnes inimici noſtri tam diram,  
 immo verò Vlyſſæam peregrinationem incidant. Ad  
 poetas tranſeamus. Terent. Heauton. Ab, obſecro te, iſtuc  
 inimicis noſtris fiet. Plaut. Aſin. Utinam male qui mihi  
 volunt, ſic rideant. Horat. Ode 27. lib. 3.

Hoſtium vxores, pueriq; cecos  
 Sentiant motus orientis hædi, &  
 Equoris nigri fremitum.

Ouid. Hoſtibus eneniāt cōnuinia talia noſtris. Et 3. de Art.  
 Hoſti-

526  
 Hoſtibus eneniāt  
 nia noſtris hoſti-  
 525  
 520  
 525  
 Ecce  
 riis modis  
 Ab  
 gere equo  
 quos eſt, c  
 curru, reſi  
 ridianum t  
 ne. Deind  
 No  
 cus iſte per  
 eodem exp  
 requirente  
 Aut  
 Ling  
 Om  
 Con  
 Fro  
 A  
 Ne  
 Flo  
 Ob  
 No  
 prati Lye  
 PVR  
 nis metall  
 ceteris pu  
 QVI  
 hic beneme  
 opera quid  
 defendebat  
 tiſſet, & max  
 præſtituſſet.  
 nam: quæ n  
 lataria homi

*Hostibus eueniat tam fœdi causâ pudoris. Et 3. Fast. Eueniat lenta puella meis. Ex Chiliad. Lamb. in Horat. Iunij Cent. 1. adag. 22.*

- 515 Ecce autem duro fumans sub vomere taurus  
Concidit, & mistum spumis vomit ore cruorem:  
Extremosq; ciet gemitus. it tristis arator  
Mœrentem abiungens fraterna morte iuuenicum,  
Atq; opere in medio defixa relinquit aratra.
- 520 Non vmbrā aliorum nemorum, non mollia possunt  
Prata mouere animum: non qui per saxa volutus  
Purior electro campum petit amnis: at ima  
Soluuntur latera, atq; oculos stupor vrget inertes,  
Ad terramq; fluit deuexo pondere ceruix.
- 525 Quid labor, aut benefacta iuuant? quid vomere terras  
Inuertisse graues? atqui non Massica Bacchi  
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.  
Frondebis, & victu pascuntur simplicis herbæ:  
Pocula sunt fontes liquidi, atq; exercita cursu
- 530 Flumina: nec somnos abrumpit cura salubres.

ECCE AVTEM DVRO) Exemplum de boue va- A leratis mortalibus plectuntur? Hæcine gratia reddenda de hominum vita bene merentibus bobus? hocine officium deorum immortalium, peste occidere innocentes, atque immerentes pecudes? Atqui illis morbus iste non obuenit ex aliqua cibi, & potionis intemperantia. Neq; enim illis aut vinum sapidissimum, aut epulæ exquisitissimæ morbos afferre possunt, quemadmodum voluptariis, & genio deditis hominibus. Quippe victu vtuntur simplici herbarum & graminum. Potui illis humor est fontium, aut riuorum, amniumque decurrentium aqua: neque ipsæ studio rei augendæ, quod faciunt auari, somnos sibi abrumpunt: sed omnis curæ, omnisque sollicitudinis expertes, in diem viuunt. At nihilominus tamen communi lue cum voluptariis, & consceleratis hominibus armenta, & pecudes intereunt.

ABIUNGENS IUVENCVM) Abiungere, & iungere equos aut boues, contraria sunt. Interiungere equos est, cum itinere, aut labore sit pausa, & disiuncti à curru, reficiuntur suo pabulo, vt fit plerumque ad meridiana tempus. *Wann man einkehret, oder ausspannet.* Deinde rursus iunguntur.

NON VMBRĀ ALIORVM NEMORVM) Locus iste persimilis est Lucretiano illi lib. 2. videturque ex eodem expressus. Est autem de vacca vitulum amissum requirente, & ob eum omnia fastidiente.

*Aut mater virides saltus orbata peragrans,  
Linqvit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,  
Omnia conuifens oculis loca, si queat usquam  
Conspicere amissum foetum: completq; querelis  
Frondiferum nemus assistens, & crebra renisit  
Ad stabulum, desiderio perfixa iuuenici.*

*Nec tenera salices, atq; herba rore vigentes,  
Fluminaq; vlla queunt summis labentia ripis  
Oblectare animum, subitamq; auertere curam.*

NON MOLLIA PRATA) Eclog. 10. hic mollia prata Lycori. Mollia, propter gramen molle.

PVRIOR ELECTRO) Nam sicut electrum cæteris metallis defæcatus est omnibus, ita & currens aqua cæteris purior. Seruius.

QVID LABOR, AVT BENEFACTA) Neque hic benemerito tauro labores præteriti, & tot impensæ opera quidquam proderant: neque illum à pestilentia defendebat, quod durissimas terras collo toties inuertisset, & maxima beneficia in communi vita mortalibus præstitisset. An non igitur iure optimo exclamet quispiam? quæ nam ista rei iniquitas, quod inculcata, & salutaria hominibus iumenta, communi pœna cum sce-

leratis mortalibus plectuntur? Hæcine gratia reddenda de hominum vita bene merentibus bobus? hocine officium deorum immortalium, peste occidere innocentes, atque immerentes pecudes? Atqui illis morbus iste non obuenit ex aliqua cibi, & potionis intemperantia. Neq; enim illis aut vinum sapidissimum, aut epulæ exquisitissimæ morbos afferre possunt, quemadmodum voluptariis, & genio deditis hominibus. Quippe victu vtuntur simplici herbarum & graminum. Potui illis humor est fontium, aut riuorum, amniumque decurrentium aqua: neque ipsæ studio rei augendæ, quod faciunt auari, somnos sibi abrumpunt: sed omnis curæ, omnisque sollicitudinis expertes, in diem viuunt. At nihilominus tamen communi lue cum voluptariis, & consceleratis hominibus armenta, & pecudes intereunt.

MASSICA BACCHI MVNERA) Æneid. 7. *vertunt felicia Baccho Massica.* Horat. Ode. 1. lib. 1.

*Est qui nec veteris pocula Massici,  
Nec partem solido demere de die  
Spernit.*

EPVLÆ REPOSTÆ) Abundantes, variæ, quæ semel absumi nequeunt.

SIMPLICIS HERBÆ) Propter epularum varietatem dixit simplicis.

SOMN. ABRVMP. CVRA SALVB.) Curis impediri, turbariq; somnum, puto esse neminem, qui non experiundo didicerit. Cic. ad Att. epist. 16. lib. 2. Primum epistola illa ita me pupugit, vt somnum mihi ademerit. locus insignis est 4. Æneid. de Didone, cuius animus erat in amore Æneæ heu nimium occupatus. Vide dicta 10. Æneid. ibi, *Æneas (neq; enim membris dat cura quietem).* Laudes somni habes apud Senecam Hercule Fur. choro 4. Et comment. Delrij, pag. 292.

Tempore non alio dicunt regionibus illis  
Quæ sitas ad sacra boues Iunonis, & vris  
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

- Ergo agrè rastris terram rimantur, & ipsis  
 535 Vnguibus infodiunt fruges: montesq; per altos  
 Contenta ceruice trahunt stridentia plaustra.  
 Non lupus insidias explorat ouilia circum,  
 Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum  
 540 Cura domat. timidi damæ, ceruiq; fugaces  
 Nunc interq; canes, & circum tecta vagantur.  
 Iam maris immensi prolem, & genus omne natantum  
 Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus  
 Proluit: insolitæ fugiunt in flumina phocæ.  
 Interit & curuis frustra defensa latebris  
 545 Vipera, & attoniti squamis astantibus hydri.  
 Iphis est aër auibus non æquus, & illæ  
 Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.

QVÆSIT. AD SACRA. B. IVN.) Argiua sacerdos curru vehebatur in Iunonis templum. Hinc illud i. Tuscul. Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte: nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore, aliisque pluribus. Primum Argiæ sacerdotis, Cleobis & Biton filij prædicantur. Nota fabula est. Cum enim illam ad solemne, & statum sacrificium curru vehi ius esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tunc iuvenes ij, quos modo, nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt: ita sacerdos aduecta in fanum. Cum currus ductus esset à filiis, precata deam dicitur, ut illis præmium daret, quod maximum dari posset à deo. Pòst epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Talem igitur vecturæ necessitatem Virgilius modò insinuat.

VRIS IMPARIBVS) Vris imparibus, secundum Seruium, inæqualibus: nimirum quod penuria, & pecoris internecone illud sæculum non modo cicuribus, & mansuetis bobus, sed feris, agrestibus, iisque imparibus, & obuiis ad vecturas uti cogeretur. Veteres quippe, & nostræ ætatis homines, non solum in opere rustico faciendo, ex armento veterina paria delecta coniungebant, & comparabant, sed inter vrbanas delicias, in carpentis, vectabulis, triumphantiumque curribus ad venustatem idem quoque obseruabant: ut & Iureconsultus iugum, parque mulorum ex æqualitate commendat, & altero iugalium sublato, aut oblatso, propter imparitatem depretiati iugi damnum, multamque maioris æstimat, &c. German.

ALTA ADDONARIA) Hic donaria pro templis: sicut aliquando puluinaria.

ERGO Æ. RAST. TER.) Mirandum itaque non est, si peste enectis bobus, homines ipsi tunc terram fodiebant, rastris arabant, digitis occabant, frugesque vnguibus operiebant, & ex altissimis montibus plaustra

- Præterea, nec iam mutari pabula refert:  
 Quæsitæq; nocent artes: cessere magistri,  
 550 Phillyrides Chiron, Amythaoniusq; Melampus.  
 Sæuit & in lucem Stygiis emissa tenebris  
 Pallida Tisiphone: morbos agit, antè metumq;  
 Inq; dies auidum surgens caput altius effert.  
 Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,

A ceruice deuehebant. Illud fortasse non ab re miretur quispiam, quod hac luce grassante, pax & concordia inter omnes animantes, alioqui sibi inuicem aduersissimas, coalescebat. Metu pestis turbatæ vagabantur, nec licebat vita spoliare alias, quando ipsæ, de sua tam erant sollicitæ.

NON LUPVS INSID. OVIL. CIRCVM) *Triste lupus stabulis*, Eclog. 3.

NOCTVR. OBVMB.) nocturnus, pro noctu. Vide annotata lib. 8. Æneid: ibi, *Nec minus Æneas sematunus agebat*.

TIMIDI DAMÆ, CERVIQ. FVG.) Eclog. 8. *Cum canibus timidi venient ad pocula damae*. Seneca Oedipo.

*Non lupos cerui metuunt rapaces:*

*Cessat irati fremitus leonis,*

*Nulla villosis feritas in vrsis.*

Cerui fugaces sunt, quia timidi. Quia & homini sæpe pedibus timor addidit alas.

IAM MARIS IMMENSI PROLEM) Quid, quod hoc genus contagij, non modo terram omnem longè lateque infestabat: sed aquas etiam, & immensa maria perreptabat? Nam vndis corruptis, pisces in mari extinguebantur, mortuique in littus, non aliter ac naufragio ciecta corpora, à fluctibus propellebantur: phocæ pestilenti maris aqua turbatæ, grauiusque offensæ, in fluuios se receperant.

PHOCÆ) vituli marini, qui spirant, & dormiunt in terra, ut scribit Plin. lib. 9. cap. 7. quod etiam 4. Georg. dicitur. *Sternunt se somno diuerso in littore phocæ*.

IPSIS EST AER AVIBVS NON ÆQVVS) Lucret.

*Nec tamen omnino temere illis sedibus vlla*

*Comparebat avis, nec tristia sacra ferarum*

*Exibant syluis, languebant pleraq; morbo,*

*Et moriebantur.*

555 Arentesq; sonant ripæ, collesq; supini.  
Iamq; cateruatim dat stragem, atq; aggerat ipsis  
In stabulis turpi dilapsa cadauera tabo:  
Donec humo tegere, ac foueis abscondere discunt.  
Nam neq; erat coriis vsus: nec viscera quisquam  
560 Aut vndis abolere potest, aut vincere flamma.  
Nec tondere quidem morbo, illuueq; peresa  
Vellera, nec telas possunt attingere putres.  
Verùm etiam inuisos si quis tentarat amictus,  
Ardentes papulæ, atq; immundus olentia sudor  
565 Membra sequebatur: nec longo deinde moranti  
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.

NEC. I. MVT. PAB. REF.) Quod aliàs presentissimum in hoc casu remedium, maximeque salutare esse consuevit, vt pabula mutentur, & aquationes totius regionis, & alius quærat status, cæli, hoc ipsum nihil quidquam contra hanc pestem, quamcunque pecudem iuuabat. Quidquid enim auxilij ab arte medica petebatur, id non modò malum hoc non leniebat, sed insuper ægrotantibus noxam afferebat. Proinde optimi quique medici, omni spe salutis abiecta, ægros deserebant, & magnitudine mali superati, remedia omittebant. Erat omnium rerum facies miserabilis, contagiosa lue in dies crescente, & paulatim longius, latiusq; proserpente, homines ipsi pauore exanimati, ac metu trepidi, vulgò dicebant, infernales Furias ex erebo in lucem emissas, quæ res mortalium crudelissimè sursum ac deorsum agitant.

QVÆSIT. NOCENT. A) Lucret.

*Nec requies erat vlla mali, defessa iacebant.*

*Corpora, missabat tacito medicina timore.*

Thucyd. ὅτε ἰατρῆσι ἤρξαν τὸ πρῶτον δεσπεύουσας ἀγνοῖα, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἐθύησκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα πωροσίνεσαν.

PHYLL. CHIRON) Phyllyram Oceani filiam Saturnus vitiauerat, ex quo furto Chiron centaurus est procreatus. Ouid. 6. Metam. *Ut Saturnus equo geminum Chirona creauit.* Meminit etiam Arnob. lib. 9. cum contemptu senis vsque adeo salacis. Eius verba sequuntur. Nunquid senex Saturnus, iam dudum obfusus canis, atq; annorum vetustate iam frigidus, vestris carminibus indicatur ab vxore in adulterio comprehensus, induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus euoluuisse iactatis? Chiron, & Melampus hoc loco ponuntur pro insignibus medicis. Chiron, ait Plin. lib. 7. cap. 36. herbarum vires ad medicamenta reperit.

AMYTHAON. MEL.) De Melampo, seu Melampode medico excellentissimo affert multa Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. num. 221. Eum primùm docuisse medicamentis, & purgationibus sanare, auctor Apollodorus, & Pausan. in Arcadicis. Curauit Proetidas, de quibus eclog. 6. Virgil. *Proetides impleunt falsis mugitibus agros.*

MORBOS AG. A. METVM QVE) Aliter, & in alia re Tibull. lib. 1. eleg. 2. *Ille licet Cilicum victas agat ante saternas.*

BAL. PEC. ET CREB.) Nullus locus ab isto malo

A immunis, omnesq; fluuij, omnes ripæ, omnes colles pecudum morientium balatu, & taurorum subita peste cadentium horribili mugitu personabant. In ipsis stabulis tanta pecudum strages edebatur, vt cadauera interemptorum illic cateruatim aggesta iacerent: donec tandem fossis latissimis, in altitudinem 15. pedum eductis, humarentur, & terra contegerentur. Greges peste consumpti inhumandi sunt, quia corium vellusq; pestiferum est.

IAMQ. CATERV.)

*Inde cateruatim morbo, mortiq; dabantur. Et, Confertos ita acernatim mors accumulabat.*

NAM NEQ. E. C. VSVS) Corium etsi detrahi poterat, non erat tamen vsui. Nec poterant ablui intestina, nec concremari: nec tonderi vellera, erosa vi pestis lana. Quod si quid etiam telæ inde factum esset, attingi sine pernecie non poterat. Papulæ ardentes, & pustulæ in toto corpore repente existebant, & dolor membrorum deterrimus, ac sudor immundissimus continuò sequebatur. Paulò post insanabilis sacer ignis, quem pusulam vocant pastores, sic hominem, & pecudem obruebat, vt illo omnes ægrotantis artus absumerentur, neq; medicamentorum, neq; ferri remedia morbus vlla in parte pateretur, ac pæne ad omnem tactum excandesceret.

SACER IGNIS) Seneca Oedipo. *Oculiq; rigent, & sacer ignis pascitur artus.* Sacrum ignem sacrum morbum fallo interpretatur Seruius: sacer enim morbus, est morbus caducus, seu, Herculeus. At sacer ignis vulgò dicitur ignis S. Antonij, de quo Columella lib. 7. cap. 5. Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores. ea nisi compescitur, intra primam pecudem, quæ tali morbo correpta est, vniuersum gregem contagione prosternit: sic quidem, quod nec medicamentorum, nec ferri remedia patitur, &c. Sola tamen ea fomenta non aspernatur lactis caprini: quod infusum tantum valet, vt & blandiatur igneam sæuitiam, differens magis occidionem gregis, quam prohibens. De hoc igne & Lucret. lib. 6.

*Corpus, vt est, per membra sacer cum diditur ignis.*

*Existit sacer, ignis & vrit corpore serpens.*

*Quamcumq; arripuit partem.*

Sacer ignis, inquit Celsus libr. 5. malis vlceribus annumerari debet.

TERTII LIBRI GEORGICORVM FINIS.

SYM-